

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON.
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)
26 Jan. 1883.

1,25

APPENDIX

ARTIS DIONYSII THRACIS

AB

G. VHLIGIO

RECENSITAE



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEVBNERI
MDCCCLXXXI

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI.

G. VHLIGIVS
S. D.
H. VSENERO

Noli deridere, mi Vsenere, hoc prothysteron, quod ante artis Dionysianae quaterniones postremos transmitto Tibi appendicem. etenim duae sunt causae, quae illos aliquanto remorantur, altera laetissima, quae posita est in re, acerba altera, quae sita est in me. hanc quoque ut Tibi indicem: oculorum morbo vexor abhinc septem menses. is otii mei, quod (quibus temporibus non plane deerat) totum fere technographis graecis tribuere solebam, partem reliquit hisce studiis unam, duas dedit aut ambulando aut Antinoo aliisque fabulis romanensibus sed non romanis audiendis aut colloquiis politicis futilibus, qualia sunt: num revera cancellarius noster ex fumo daturus sit lucem aerario imperii Germanici, vel quid hodie de Carthagine censendum sit. ac desperassem de Dionysii recensione nunc absolvenda, nisi et oculis et manibus uti potuissem collegarum liberalissimorum.*) sed apage querelas. gaudeamus, quod — quae altera dilationis causa est — nova lux affulsit Thraci ex oriente.

Ex eis, quae Paulinus Martin 'Journal asiatique' ser. VI t. XX p 248 disputavit, Hoerschelmannus in dissertatione de Dionysii interpretibus p 81 conlegit versionem syriacam exstare technes Dionysianae ab Iacobo Edesseno confectam (qui episcopus Edessae erat exeunte saeculo septimo et ineunte octavo). nec dubitari posse, quin usus sit ille arte Thracis atque etiam Theodosii canonibus**), affirmat Merxius noster, peritissimus harum rerum iudex, qui mox commentationem 'de fatis artis grammaticae apud Syros' publici iuris faciet***); convertisse vero Edessenum in sermonem patrium nec totam artem nec particulam.

At ὁ τρώσας καὶ ἰάσατο. invenit nuperrime idem Merxius versionem syriacam plurimorum enchiridii graeci capitum, quae saeculo quinto vel sexto tribuenda est, in duobus libris manu scriptis musei Londinensis, inventam ita descripsit ut minimas librorum discrepantias adnotaret, descriptam ita interpretatus est, ut ubicunque pateret Syrum graeca diligenter imitatum esse, rursus in graecum sermonem converteret, quaecunque autem praeterea adderentur vel ab Dionysio valde

*) neque has ipsas licebat edere plagulas, absque Hilgardo fuisset, qui θρεπτήρια largissime reddit, nec more coactus, sed eo animo, ut facillimum sit accipere quidquid praebet.

**) Martinus composuit consonarum distributionem ab Iacobo propositam cum Dionysiana mutarum divisione, unde patet ψιλῶν δασέων μέσων classes ab Edesseno receptas eorumque nomina translata esse, sed ita ut omnes consonas, non solum mutas in has tres species distribueret. quod idem fecisse Armenium technes interpretem legisti, si modo legisti, in Dionysii editione mea p 11.

***) quae in libraria orphanotrophei Halensis prostabit coniuncta cum editione artis grammaticae Severi sive Iacobi Tacritensis.

a*

discreparent, in latinam linguam transferret. Atque primo obtutu elucet ad pristinam technes formam recuperandam non minoris esse Syrum quam Armenium momenti, qui ipse quoque exeunte quinto saeculo videtur artem Dionysii convertisse.

Nam primum persaepe huius testimonium ab Syro confirmatur contra codicum scholiorumque vel certe codicum concentum, quae quidem confirmatio cum alibi tum illic magni facienda est, ubi in interpretatione armenia aut aliquid deest quod exemplaria artis exhibent, aut additum aliquid legitur quo illa carent. Etiam in vetustissimis technes apographis haec invenitur adiectivi nominis definitio (p 636, 18 Bekk. 34, 3 ed. meae): *ἐπίθετον δέ ἐστι τὸ ἐπὶ κυρίων ἢ προσηγορικῶν ὁμωνύμως τιθέμενον καὶ δηλοῦν ἔπαινον ἢ ψόγον*, neque alia leguntur in lemmate scholii collectionis Vaticanae, in commentariolo byzantio ab Hilgardo edito, in vetustissimo catechismorum ex arte Dionysiana factorum, apud auctorem epimerismorum psalterii, in etymologico Gudiano, in Zonarae lexico. sed quid illud *ὁμωνύμως* significaret, CEASchmidtius symbolarum suarum p 239 frustra studuit explanare, nec ab communi omnium epithetorum finitione vocabulum non alienum est, si Schoemanni interpretationem (Redeth. p 89) sequimur. accedit quod in scholiis ipsis collectionis Vaticanae adverbium non inlustratur. attamen his tantum rationibus nixi non auderemus *ἀθετεῖν*; nunc audemus, postquam cognovimus nec Armenium *ὁμωνύμως* interpretatum esse neque Syrum. originem autem additamenti ex definitione homonymi p 636, 26 repetiverim, quod dicitur esse *τὸ κατὰ πολλῶν ὁμωνύμως τιθέμενον*. — In capite *περὶ ἐπιῤῥήματος* omnes codices praebent sexto decimo loco (p 642, 10) hanc speciem: *τὰ δὲ ἀθροίσεως, οἷον ἄρδην ἅμα ἤλιθα*, vicesimo primo (p 642, 14) hance: *τὰ δὲ συλλήψεως, οἷον ἅμα ὁμοῦ ἄμυδις*. sed quid sibi velint *συλληπτικά* iuxta *ἀθροιστικά*, nemo dicat. atque omittitur *συλλήψεως* classis in catechismis et ab latinis artigraphis, neque explanatur in commentario Heliodoreo. verum enimvero testantur eam scholion Stephanianum et lemma illi praemissum et lexicon Bachmannianum, ut dubitarem eicere nisi Armenii Syrique consensus condemnaret: nam uterque supervacanea quoque et perversa diligenter expressere, utpote imitatores incredibilem in modum serviles.*) — *Μετουσιαστικοῦ ὀνόματος* speciem, i. e. eius nominis, quod indicat ex qua materia aliquid factum sit, meliores libri et erotemata exhibent in serie specierum nominalium loco ultimo, deteriores codices et commentariolus paenultimo (p 636, 15 et 637, 25), vetustiores scholiastae videntur omnino non legisse, haud dubie nec Armenius legebat nec Syrus. ergo posteriore demum tempore in artem Dionysii inlata est. — Plus praebent simiae orientales e. g. p 642, 10, ubi in codicibus legimus: *τὰ δὲ παρακελεύσεως, οἷον εἶα ἄγε φέρε*. sed Armenius quinque exempla enumerat, quorum primum exprimit *ἄγε*, alterum significat *sine*, *patere*, tertium reddit *φέρε*, quartum idem valet quod *i*, quintum id quod *veni*; Syrus sex adverbia, quorum alterum et tertium respondent graecis *ἄγε* et *φέρε*, primum significat *sine*, quartum *i*, quintum *veni*, sextum *fac*. unde effici videtur, post *φέρε* utrumque etiam *ἴθι δεῦρο* invenisse.**)

---

*) cuius imitationis mirificentissima Armenius dedit exempla, ubi quae a patrii sermonis indole prorsus abhorrebant convertere conatus est. in capite de articulo apud Dionysium legimus p 640, 9: *ἀριθμοὶ τρεῖς, ἑνικός δυϊκός πληθυντικός· ἑνικὸς μὲν ὁ ἡ τό, δυϊκὸς δὲ τώ τά, πληθυντικὸς δὲ οἱ αἱ τά*, quorum verborum quae de singulari et plurali dicta sunt, duplicem ob causam in armenium sermonem transferri nequeunt; ea, quae de duali, ob triplicem: nam nec articulum habet haec lingua nec generum distinctionem nec dualem numerum. sed ne hic quidem Armenius imitatoris munere se abdicavit.

**) *ἔα* pro *εἶα* Syrum Armeniumque legisse non putaverim (quamquam apud Hesychium Suidam Zonaram occurrit: *ἔα δή· ἄγε δή*), sed perperam *εἶα* ab *ἐᾶν* derivasse.

Verum etiam ubi ab Armenio Syrus discrepat, gravissima eius est auctoritas, praesertim cum veri simillimum sit, Armenium nonnumquam non ex technes ipsius exemplari suo quae interpretatur petivisse, sed scholiastas graecos secutum esse.*) Multum dubitabant litigabantque technici Alexandrini ac Byzantii, num infinitivus *ἐγκλίσεως* nomine appellandus esset et quis locus ei tribui deberet in modorum serie. Dyscolus in rhematico posuit loco secundo, in syntaxi primo. Theodosius, canonum auctor, Apollonii rhematicum sequitur. in Dionysii codicibus omnibus *ἀπαρέμφατος* agmen claudit, quo cum ordine concinunt scholia Heliodori, Stephani, commentariolus, erotemata; eundemque testatur Choeroboscus in explanando Theodosio. at apud Armenium sic incedunt: indicativus infinitivus imperativus optativus coniunctivus. num igitur illo solo freti ita etiam Dionysium ordinasse arbitrabimur? dubitaremus certe quid censendum esset, nisi patrocinaretur codicum ordinationi Syrus. nunc putabimus hoc quoque loco Armenium scholio veteri ab Dionysio dissentienti obsecutum esse, quale nobis descripsit Hilgardus ex Marciano 489. — Dionymi definitioni haec subiciuntur p 637, 1: *οἷον Ἀλέξανδρος ὁ καὶ Πάρις, οὐκ ἀναστρέφοντος τοῦ λόγου· οὐ γάρ εἴ τις Ἀλέξανδρος, οὗτος καὶ Πάρις.* ratio flagitat ut scribatur *Πάρις ὁ καὶ Ἀλέξανδρος.* atque sic conlocat exempla explanatio Stephani: *Ξάνθος Σκάμανδρος, Πάρις Ἀλέξανδρος*, et scholium ineditum Marciani 489: *Πάρις ὁ καὶ Ἀλέξανδρος, Πύῤῥος ὁ καὶ Νεοπτόλεμος, Ξάνθος ὁ καὶ Σκάμανδρος*, et [Sergius] in Donatum: *dionymon, ut Paris Alexander, Elisa Dido.* at ordinem, quem artis codices exhibent, defendunt aliud scholion, commentariolus, erotemata vetustissima; nec minus Armenius ea nomina, quae in Graecorum locum substituit, utrobique eodem ordine profert. Syrus vero, si lectionem plenioris et melioris exemplaris sequimur, postquam dixit: *velut Azarja et Uzzia*, adicit: *non vero qui Uzzia dicitur, Azarja est.* — Exempla *συναπτικῶν συνδέσμων* in codicibus scholiis erotematis sunt *εἴ εἴπερ εἰδή εἰδήπερ* (p 643, 1), eademque exprimere conatur Armenius. sed frustra adhuc quaesivi unum alicuius scriptoris locum, ubi illud *εἰδήπερ* occurreret, quod ex technes exemplaribus usque in institutiones Melanthonis permanavit, coiciebamque fictam esse vocem ab interpolatore ad similitudinem exempli quarti speciei subsequentis: *παρασυναπτικοὶ δέ εἰσιν ὅσοι μεθ' ὑπάρξεως καὶ τάξιν δηλοῦσιν. εἰσὶ δὲ οἵδε· ἐπεί ἐπείπερ ἐπειδή ἐπειδήπερ.* iam suffragatur coniecturae meae Syrus. namque et *εἴ εἴπερ εἰδή* et *ἐπεί ἐπείπερ ἐπειδή ἐπειδήπερ* accuratissime reddere studet vocibus eodem plane modo compositis; quod vero *εἰδήπερ* coniunctioni respondeat, apud illum non reperitur.

Itaque cum multum lucis versione syriaca adferri enchiridio Dionysiano appareret, crimen criticum me commissurum esse duxi, nisi hanc quoque, sicut armeniacam, iam nunc ad restituendam technen adhiberem. quod faciam in recensione altera. etenim scis editionem meam bipertitam esse, antecedere eam artis formam, quam vetustissima exemplaria praebent, sequi eam, quae videtur

---

*) duas originationes Thrax proposuit *ῥαψῳδίας* nominis, quarum altera tantum codicibus tradita est (*οἱονεὶ ῥαβδῳδία τις οὖσα*), alteram (*παρὰ τὸ ῥάπτειν*) cognoscimus ex scholiis nonnullis, erotematis Guelferbytanis, latino artigrapho, Armenio; hic vero interpretatus est non ea quae attuli verba, sed *παρὰ τὸ συῤῥάπτειν ἔπη*, quibuscum conveniunt quae Wachsmuthius ex libro Burbonico protulit: *ἢ ῥαψῳδία εἴρηται ἀπὸ τοῦ συνεῤῥάφθαι ἐκ διαφόρων λέξεων καὶ νοημάτων τὰ ἔπη*, et quae Hilgardus ex scholiis Marciani 489 exscripsit: *ἢ παρὰ τὸ ῥάπτειν, ἐπειδὴ τὰ ἔπη συῤῥάπτεται.* — Sex tantum diphthongos Dionysius enumerat p 631, 11: *αι αυ ει ευ οι ου*; sed Armenius: *naturales diphthongi*, inquit, *sunt quinque: au eu ou ai oi*, *repugnantes tres: ēu ĕu iu*, quae si comparaveris cum eis quae scholiis de diphthongorum numero et speciebus exponuntur (vide ed. meae p 11), credes, opinor, ex scholiastarum doctrina originem ducere Armenii et distinctionem et nomenclaturam.

profecta esse ab auctore. cui alteri, quae prelum nondum subiit, etiam lectiones Syri subscripturus sum.

Huius autem appendicis consilium ut breviter significem, duas res efficere volui, primum ut quivis facile ipse cognoscere posset, per quos mutationis gradus praecepta Dionysii ad eos pervenissent, qui XV et XVI saec. in occidente scientiam linguae graecae instauravere, deinde omnibus ut patesceret, quantum doctrinae Dionysianae etiam latinis in artigraphis inesset et quibus intervallis ab graeco technographo distarent singuli. Iam ad tabulas, quibus haec declarare studebam, inlustrandas pauca praemittenda sunt.

Manuelis Moschopuli Cretensis erotemata grammatica continent Dionysii Thracis artem in catechismi formam redactam multisque locis explanatam suppletamve et Theodosii canones nominales verbalesque simili ratione conformatos, quibus subiciuntur tertio loco flexiones eorum nominum, de quibus altera enchiridii parte disputatum est, et *τύπτω* verbi formae sine ulla explanatione compositae. hic liber primum editus est sine loci annive notatione sic inscriptus: *Τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ μανουὴλ τοῦ μοσχοπούλου διορθωθέντων ἐρωτημάτων*, una cum Demetrii Chalcondylae *ἐρωτήμασι συνοπτικοῖς τῶν ὀκτὼ τοῦ λόγου μερῶν* et Gregorii Corinthii de dialectis libello (*περὶ διαλέκτων τῶν παρὰ κορίνθου παρεκβληθεισῶν*). factum id esse ab Chalcondyla ipso Mediolani circa annum 1493 inde conligunt, quod eaedem hic inveniuntur litterarum formae, quas ille ad edendas orationes Isocrateas adhibuit *ἐν μεδιολάνῳ ..... ἔτει ἀπὸ τῆς χριστοῦ γεννήσεως χιλιοστῷ τετρακοσιοστῷ ἐνενηκοστῷ τρίτῳ μηνὸς ἰανουαρίου εἰκοστῇ τετάρτῃ*. Deinde ex officina Aldina prodiit catechismus Moschopuli anno 1525. etenim cum incipiat liber ab expositione *περὶ προσῳδιῶν*, quae facta est ex supplemento arti Dionysianae antiquitus adiecto (Bekk. Anecd. II 674 seq), dubitari nequit, quod iam Ritschelius Thomae sui p LIII suspicatus est, quin *Eiusdem de accentibus* liber, qui in titulo (ab Renouardo Annalium Aldinorum p 175 repetito) post *Emmanuelis moschopuli de cōstructione nominum & verborum* nominatur, nihil aliud sit quam Moschopuli interrogamenta grammatica. editionem ipsam, quae rarissima est, mihi videre non magis contigit quam Ritschelio. atque etiam eius quam Philippus Iunta anno 1526 emisit notitiam, sicut ille, a bibliographis tantum nanctus sum, qui tradunt Iuntinam ab Aldina non differre, nisi quod ceteris scriptis etiam Hephaestionis de metris libellus adiunctus sit. Sed praeter principem usurpavi ultimam, quae ipsa quoque in paucis bybliothecis invenitur: *Grammaticae artis graecae methodus Manuele moschopulo authore. Eiusdem artis Theodori Gazae lib. II. Basileae. Ex officina Ioan. Vualder MDXL.* In praefatione auctor ab Waldero collaudatur his verbis Melanthonis: *Grammaticus omnium, ni fallor, qui superiore seculo literas instaurarunt, idem longe diligentissimus et doctissimus,* quod Philippi iudicium legitur in grammaticae graecae institutionibus, ubi de *πρός* praepositione disserit: *accusativo iuncta tum demum propriae significationis est, ut Manuel Moscopulus* [sic] *grammaticus ..... doctissimus inquit. ὅτε δὲ ἡ πρός τὰ ἑαυτῆς σημαίνει καὶ οὐ λαμβάνεται ἀντὶ ἑτέρας, μετ' αἰτιατικῆς ξυντάσσεται.* In p 1 praemittitur hic titulus ἈΡΧῊ ΣῪΝ ΘΕῷ ἉΓΊῼ *τῶν ἐρωτημάτων βραχυνθέντων παρὰ τοῦ Μανουὴλ Μοσχοπόλου*. Superiorum editionum mentionem facit nullam Walderus; immo ita loquitur quasi primus hunc doctrinae grammaticae fontem vulgaverit: *gratulemur vobis* [scil *pueris doctrinae studiosis*], *quod .... eius vobis doctoris copia et potestas facta sit, cuius solius praeceptis pro tanto desyderio vestro recte imbui informarique possitis: atque isthuc ipsum a nobis in vos proficisci gaudeamus.* reque vera Walderum Italas editiones ignorasse inde confici videtur, quod nonnullis locis plane absurda exhibet, ubi sana praebuerat

iam Mediolanensis: bacchantium voces sic sonant in Walderiana p. 16 *εὖ, ἀι, εὐδὶ, εὐάν*; in principe *εὐοῖ εὐάν* (vide infra p 10 col 3, 12).

Iam consentaneum erat suspicari typographum Basileensem usum esse uno eorum exemplarium manu scriptorum, quae habet bybliotheca Basileensis urbica. duo libri sunt, quibus Heidelbergae uti licebat liberalitate praefecti humanissimi intercedente Iacobo Wackernagelio. uterque chartaceus, in 8., nitide exaratus. alterum, qui F VIII 13 signatus est (a me nominatur Bas. I vel B I), saeculo XIV exeunti tribuo; XV saeculo alterum, cui nota est O IV 26 (B II). comparatione autem instituta mox apparuit utrumque chirographon saepe cum Walderiana contra Mediolanensem conspirare, sed ex neutro eorum illam derivari posse. adverbia *θειασμοῦ*, ut pauca exempla proferam, sic scribuntur in B I: *εῦ. οῖ. εῦ. ἀν*, in B II: *εὖ. οῖ. αὖ. ἂν*; nec B I nec B II *ἤλιθα ἅλις* habent inter adverbia *ἀθροίσεως*, quae praebet editio Basileensis (v. infra p 8 col 3, 11); magnam partem eorum, quae de syllaba apud Walderum leguntur p 6, om B I (ab *ἢ ἐξ ἑνὸς συμφώνου καὶ ἑνὸς φωνήεντος* usque ad capitis finem), etiam maiorem B II (ab *κατὰ πόσους τρόπους γίνεται ἡ συλλαβὴ* ad finem); uterque in fine capitis *περὶ λόγου* haec adicit, quae desunt in Walderiana: *τούτων πόσα κλίνονται καὶ πόσα οὐ κλίνονται· κλίνονται μὲν πέντε· ὄνομα. ῥῆμα. μετοχή. ἄρθρον. ἀντωνυμία· οὐ κλίνονται δὲ τρία· πρόθεσις. ἐπίρρημα. σύνδεσμος.* Inscriptio libri in B I haec est: *ἀρχὴ σὺν θεῷ ἁγίῳ τῶν ἐρωτημάτων τῶν διορθωθέντων παρὰ κυροῦ μανουὴλ τοῦ μοσχοπόλου*, quibus statim subicitur *τί ἐστι προσῳδία*, in B II: *ἀρχὴ σὺν θεῷ ἁγίῳ τῶν ἐρωτημάτων τῶν παρὰ τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ μανουήλου τοῦ μοσχοπούλου διωρθωθέντων* (sic), post quae sequitur *περὶ προσῳδιῶν*.

Alios erotematum Moschopuliorum codices permultos indicant auctores catalogorum, qui partim titulos quoque libri exscribunt. Idem index, quem B I exhibet, legitur in Laurentiano plut. XXVIII 24 chart. saec. XIV, nisi quod ibi *ἁγίῳ* deest et *τοῦ* additur ante *κυροῦ* (Bandini II col 43). — Is titulus, quem B II habet, invenitur etiam in Canoniciano 14 chart. saec. XV, in quo tamen *ἁγίῳ* omittitur, *μανουὴλ* non flectitur, *διορθωθέντων* recte scribitur (Coxii catal. III col 11); omnino eundem indicem atque B II praebet Baroccianus 84 chart. saec. XV (Coxe I col 143). — In Leidensi Gronoviano 317 chart. saec. XV haec inscripta sunt: *ἀρχὴ συν θεῷ ἁγίῳ τῶν ἐρωτημάτων τῶν διορθωθέντων παρὰ τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυροῦ μανουὴλ τοῦ κρήτης τοῦ καὶ μοσχοπούλου* (apud Geelium p 49); eadem in Nanniano 295, nisi quod hic deest alterum *τῶν* et ultima verba sic se habent: *μανουὴλ μοσχοπούλου τοῦ κρήτης* (Mingarelli p 497); *τοῦ καὶ μοσχοπούλου* om Laudianus 16 chart. saec. XV, ceteroqui ipse cum Gronoviano concinens (Coxe I col 499). in Monacensi 299 chart. a. 1427 absoluto et initium inscriptionis et auctoris nomen exstincta sunt, restant ..... *ἐρωτημάτων ἐπιδιορθωθέντων παρὰ τοῦ σοφωτάτου καὶ λογιωτάτου κυρίου ..... τοῦ κρήτης* (Hardt III p 232).*)

His inscriptionibus quas protuli omnibus dicitur corrigendo (vel breviando) immutasse erotemata grammatica Moschopulus, non primus ipse Dionysii et Theodosii enchiridia in formam interrogativam convertisse. nec dubitari licet, quin tituli dicant id quod verum est. etenim etiam

*) Monacensis 340 chart. saec. XIV praebet *τοῦ μοσχοπούλου κυροῦ μανουὴλ σύνοψις ἠκριβομένη* [sic]. *ἀρχὴ σὺν θεῷ ἁγίῳ τῶν ἐρωτημάτων* (Hardt III p 342). — Hunc mutilatum titulum ΕΡΩΤΗΜΑΤΑ ΤΟΥ ΚΥΡΟΥ describit Bandinius II col 558 et 573 ex codicibus plut. LIX 31 chart. saec. XV vel XVI et eiusdem plutei 44 bombyc. saec. XIV, quae verba interpretatur *Erotemata Cyri*, quamquam eum non fugit Manuelis Moschopuli librum esse.

nunc antiquiorem habemus formam catechismi Dionysiani et Theodosiani, unde patet qua ratione usus sit corrector. continetur illa Guelferbytano Gudiano 112 (Eberti catal. p 81), qui membranaceus est, saeculo XIII scriptus et ex parte rescriptus, ab initio mutilus. nam sic incipit quod nunc folium primum est: *εἰς χ* ...... [id est *χρόνους*] *εἰς πνεύματα εἰς πάθη*, quibus haud dubie antecedebant definitio prosodiae et enumeratio singularum prosodiarum, denique haec verba: *εἰς πόσα διαιροῦνται αἱ δέκα προσῳδίαι; εἰς τέσσαρα· εἰς τόνους.* huius codicis primis paginis quae continentur evulgavit, ex sequentibus nonnulla excerpsit Ritschelius in Thomae editione p CXXV—CXXXIII.*) totum codicem descripsit summa diligentia Egenolffus. Moschopulia autem erotemata in hoc Gudiano quoque legi censuit auctor veteris Guelferbytanorum catalogi (qui idem fortasse in pagina prima adscripsit *Grammatica Moscopuli*), negavit Ebertus, rursus contendit Ritschelius l. l. p LI idque tam confidenter ut rem in dubium vocari nullo modo posse diceret. verum hac quidem in re falsus est praeceptor noster; quod ut Tibi probem, accipe quae ratio intercedat inter Guelferbytanas interrogationes (E^g) et eas, quas in Moschopuli legimus editionibus principe et Walderiana, codicibus Basileensibus I et II (E^b).

Deest in E^g illa appendix quae flexiones nominum et formas *τύπτω* verbi sine ulla explanatione compositas praebet. contra desunt in E^b haec technes capita: 2 *περὶ ἀναγνώσεως*, 3 *περὶ τόνου*, 5 *περὶ ῥαψῳδίας*, quorum alterum sine ullo detrimento omitti poterat, cum de accentibus aeque ac de syllabarum quantitate, de spiritibus, de vocum coniunctione et separatione expositum esset illo supplemento *περὶ προσῳδιῶν*, quod arti antiquitus praemissum ipsum quoque in catechismum Dionysianum receptum est. In singulis autem capitibus sexcentis locis E^b ab E^g ita discrepant, ut corrigendi studium prodatur. Dionysius 631, 7: *προτακτικὰ φωνήεντα πέντε· ᾱ ε̄ ῑ ō ω̄. προτακτικὰ δὲ λέγεται, ὅτι προτασσόμενα τοῦ ῑ καὶ ῡ συλλαβὴν ἀποτελεῖ, οἷον αι̅ αυ̅.* E^g: *εἰς πόσα διαιροῦνται τὰ ἑπτὰ φωνήεντα; εἰς δύο, εἰς προτακτικὰ καὶ ὑποτακτικά. πόσα προτακτικά; πέντε· ᾱ ε̄ η̄ ō ω̄. διατί λέγονται προτακτικά; διότι ..... ῡ συλλ. ἀποτελεῖ.* E^b: *εἰς πόσα διαιροῦνται τὰ ἑπτὰ φωνήεντα; εἰς δύο, εἰς προτακτικὰ καὶ ὑποτακτικά. πόσα προτακτικά; τρία ᾱ ε̄ ō. καταχρηστικῶς δὲ καὶ τὸ η̄ καὶ τὸ ω̄ μέγα. διατί λέγονται προτακτικά; διότι ...... ῡ τὰς διφθόγγους ἀποτελεῖ.* — Dionysius 631, 11 has tantum diphthongos enumerat: *αι αυ ει ευ οι ου*, nec plures E^g; sed E^b subiciunt: *πόσαι δίφθογγοι καταχρηστικῶς; πέντε. καὶ τὸ η̄ μετὰ τοῦ προσγεγραμμένου ι δίφθογγός ἐστι* (sic B I II ed. pr., *δίφθογγόν* Wald.) *καὶ τὸ αὐτὸ μετὰ τοῦ ῡ. καὶ τὸ ω̄ μέγα μετὰ τοῦ ῑ καὶ τὸ αὐτὸ μετὰ τοῦ ῡ. καὶ τὸ ᾱ μετὰ τοῦ προσγεγραμμένου ῑ.* — Dionysius 632, 22 in optimis libris: *συλλαβή ἐστι κυρίως σύλληψις συμφώνων* (deteriores *συμφώνου*) *μετὰ φωνήεντος ἢ φωνηέντων, οἷον κα̅ρ̅ βοῦς. καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἡ ἐξ ἑνὸς φωνήεντος*, eademque E^g; E^b vero definiunt: *συνέλευσις τοὐλάχιστον δύο γραμμάτων. καταχρηστικῶς δὲ καὶ αἱ μονογράμματοι συλλαβαὶ λέγονται.* — Secundus modus syllabae positione longae apud Dionysium p 633, 2 hic est: *ὅτ' ἂν βραχεῖ ἢ βραχυνομένῳ φωνήεντι ἐπιφέρηται δύο σύμφωνα, οἷον ἀγρός*, atque eadem regula idemque exemplum leguntur in E^g; sed E^b Dionysium corrigunt ex doctrina Hephaestionis: *ὅταν δύο σύμφωνα ἐπιφέρηται, οὐκέτι δὲ* (hoc *δὲ* accessit ex B I) *ἄφωνον πρὸ ἀμεταβόλου, οἷον ἵσταμαι.* — Primus modus syllabae communis 633, 18 est, *ὅτ' ἂν εἰς φωνῆεν μακρὸν λήγῃ*

*) cuius editionis prolegomena quanto gaudio plausuque, cum prodiissent, ab nostratibus exterisque accepta sint, nunc legimus in aurea Ribbeckii biographia. nec hercle miramur, sed eodem gaudio, quotienscunque Thomam evolvimus, etiam hodie afficimur ac ne hilo quidem inferiora esse haec sentimus, quae Ritschelius viginti sex annos natus scripsit, quam quae sequebantur opera immortalia.

καὶ την ἑξῆς ἔχῃ ἀπὸ φωνήεντος ἀρχομένην, quae repetunt E^g^. at E^b^ ponunt: *ὅταν εἰς φωνῆεν μακρὸν λήγουσα καὶ εἰς μέρος λόγου καταπεραιοῖ, εἶτα τὴν ἑξῆς ἔχῃ .... ἀρχομένην*, quod supplementum et ipsum ab Hephaestione oriundum est. — Definitio *λόγου* in melioribus codicibus sic se habet 634, 1: *λόγος δέ ἐστι πεζῆς λέξεως σύνθεσις διάνοιαν αὐτοτελῆ δηλοῦσα*, neque aliud legebant scholiastae aut Armenius aut Syrus aut exhibent E^g^; E^b^ vero post *πεζῆς* inserunt *τε καὶ ἐμμέτρου*. — Nomen proprium definitur ab Dionysio 636, 16 *τὸ τὴν ἰδίαν οὐσίαν σημαῖνον*, quae retinentur ab E^g^. E^b^ substituunt *τὸ ἐπὶ ἀτόμων λεγόμενον* ex doctrina Peripateticorum. — Illud perversum *ὁμωνύμως*, quod in *ἐπιθέτου* finitionem inrepsisse supra vidimus, habent E^g^, eiecerunt E^b^; contra ibidem nonnulla addita sunt, ut melius ab ceteris nominibus epitheta distinguerentur: *ἐπίθετον δέ ἐστι τὸ ἐπὶ κυρίων ἢ προσηγορικῶν λεγόμενον καὶ χωρὶς αὐτῶν οὐ δυνάμενον λέγεσθαι.* — Duas nominum species Dionysius non definivit, sed tantum exemplis inlustravit, 636, 24: *πρός τι ἔχον δέ ἐστιν ὡς πατήρ υἱός φίλος δεξιός. ὡς πρός τι ἔχον δέ ἐστιν ὡς νύξ ἡμέρα θάνατος ζωή* (alterum exemplorum par, quod Armenius et Syrus omittunt, in optimis codicibus a posterioribus manibus additum est). atque eadem verba praebent E^g^, nisi quod pro *δεξιός* ponunt *δεσπότης*; sed E^b^ a philosophis mutuantur definitiones: *τὸ πρὸς ἕτερον ἔχον σχέσιν καὶ ὃ αὐτό, ὅπερ ἐστίν, ἑτέρου εἶναι λέγεται* (pro ὃ perperam habent *ὅπερ* B I et ed. pr.; B II et Walderiana nec ὃ nec *ὅπερ* ante *αὐτὸ* exhibent) et *τὸ πρὸς ἕτερον λεγόμενον, κατ' ἐναντιότητα δὲ φθαρτικήν.* — Dionysius 637, 15: *ἐπιμεριζόμενον δέ ἐστι τὸ ἐκ δύο ἢ καὶ πλειόνων ἐπὶ ἓν ἔχον τὴν ἀναφοράν, οἷον ἑκάτερος ἕκαστος* (quibus Bekker ex uno deteriore codice addidit *ἕτερος*). neque alia exhibent E^g^; E^b^ vero ex Choerobosci commentario in Dionysii artem vel ab alio, qui Choeroboscum compilavit, haec sumpsere supplementa: *τί ἐστι ἐπιμεριζόμενον; τὸ ἐκ δύο ..... ἀναφορὰν κατὰ διαίρεσιν ἢ σύναψιν, οἷον ἕτερος ἑκάτερος ἕκαστος ἄλλος. ποσαχῶς μερίζονται τὰ ἐπιμεριζόμενα; τετραχῶς· εἷς ἐκ δύο, ὡς ἕτερος· δύο καθ' ἕνα, ὡς ἑκάτερος· εἷς ἐκ πολλῶν, ὡς ἄλλος· καὶ πολλοὶ καθ' ἕνα, ὡς ἕκαστος.*

Haec sufficient ut agnoscantur E^b^ revera esse *διορθωθέντα ἐρωτήματα* nec indocte aut inepte *διορθωθέντα*. Manuelem autem Moschopulum auctorem fuisse earum correctionum, quibus E^b^ ab E^g^ differunt, non solum codicum inscriptionibus sed etiam aliis indiciis constat. *Λόγου* notionem in melioribus libris Dionysii et erotematis Guelferbytanis sic circumscribi modo indicavi: *πεζῆς λέξεως σύνθεσις διάνοιαν αὐτοτελῆ δηλοῦσα*, in E^b^ vero post *πεζῆς* inserta inveniri *τε καὶ ἐμμέτρου*. meliores libros ibi dixi Leidensem Grottaferratensem Vaticanum (nam in Monacensi haec artis pars intercidit). Vaticanus autem ad *πεζῆς λέξεως* in margine rubro ab eadem manu haec adscripta habet: *ὁ δὲ μοσχο^πλ^ πεζῆς τε καὶ ἐμμέτρου λέξεως.* — In capite de coniunctione 643, 11 *παραπληρωματικοὶ σύνδεσμοι* dicuntur quicunque *μέτρου ἢ κόσμου ἕνεκεν παραλαμβάνονται.* deinde singulae voces enumerantur: *δή ῥά νύ ποῦ κτλ.* quae series sine ullo additamento repetitur in E^g^, sed in E^b^ adicitur post *νύ*: ὃ *καὶ νῦν γράφεται* (sic B I B II ed. pr., *νὺν* Wald.), *ἀφ' οὗ τὸ τοίνυν.* quibuscum confer mihi quae Moschopulus dixit in libro *περὶ σχεδῶν* inscripto (*De ratione examinandae orationis libellus, Lutetiae ex officina Roberti Stephani 1545*) p 46, 3: *νὺ ἀντὶ τοῦ δή*, ὃ *καί νυν λέγεται, ἀφ' οὗ τὸ τοίνυν.* — Sed manum de tabula. nam plenissime hunc locum E g e n o l f f u s, socius et strenuissimus et peritissimus, proximo anno tractabit dissertatione programmati gymnasii Manhemiensis adiungenda, ubi hoc quoque explicabit, quam arto consensus et necessitudinis vinculo erotemata Moschopulia coniuncta sint cum epitoma grammatica, cuius partem

priorem 1832 Titzius edidit in *Manuelis Moschopuli Cretensis opusculis grammaticis*, deinde multis locis emendatam et perdocte adnotatam hoc titulo praefixo *Anonymi grammaticae epitoma Liber prior* ante hos quattuor annos ipse Egenolffus, posteriorem partem cum priore coniunctam vulgaturus in volumine anecdota varia complectente.

Vsi sunt correctionibus Moschopuli*) cum alii tum Nilus Chio oriundus, post medium saeculum XIV Rhodi metropolita, acerrimus Palamae sectator, Barlaami et Acindyni adversarius**), cuius enchiridion grammaticum rhetoricum logicum exstare Vratislaviae in libro manu scripto bybliothecae Magdalenensis Fr. Passovius indicavit in programmate univers. Vratislaviensis 1831/2. ex qua dissertatione cum intellexissem ibi quoque erotemata Dionysiana et Theodosiana inveniri, petivi a praefecto illius bybliothecae, ut codicem huc transmitteret. nec tuli repulsam. neque Egenolffus dubitavit ex hoc quoque libro grammaticas quidem interrogationes exscribere integras. chartaceus est, saeculo XV scriptus, constans foliis 142 et uno recentiore ceteris praefixo. de eis, quae primis continentur foliis et quae post erotemata Dionysiana Theodosianaque sequuntur, alibi aut ego dicam aut Egenolffus. In fol 4r legitur *νείλου μ̄ροπολ̄ῑ ῥόδου πόνος ἡ βίβλος αὕτη ἔνι*, quibus subiciuntur *βιβλίον τῆς γραμματικῆς: περὶ προσῳδίας καὶ πόσαι προσῳδίαι. γίνωσκε ὅτι προσῳδίαι εἰσὶ δέκα κτλ.* iam catechismus grammaticus pertinet ab fol 4r ad 6v et ab 15r ad 41r; inter fol. 6 et 15 autem quaternio a bibliopego insertus est, cuius primae sex paginae et octava vacuae relictae sunt, septima flexiones *τύπτω* verbi ab recentiore manu perscriptas exhibet, nona et decima argumenti totius enchiridii indicem praemisso libri nomine: *τὸ παρὸν βιβλίον πηγὴ γνώσεως ὀνομάζεται*, qui index ipse quoque alii manui neque vero recentiori tribuendus est. denique haec manus, quae indicem exaravit, in fol 12r—14v eadem scripsit, quae in fol 4r—6v leguntur. Iam qui hunc catechismum contulerit cum Guelferbytano et Moschopulio, modo cum antiquioribus erotematis eum concinere cognoscet contra Moschopulia, modo cum Moschopuliis contra Guelferbytana. cuius inconstantiae causa inde repetenda est, quod Nilus antiquiorem catechismi formam et correctam quasi contaminavit. res paucis locis prolatis apparebit. Recepit metropolita quod vetustiora erotemata ei praebebant e. g. in definiendo nomine proprio (Dionys. 636, 16): *τὸ τὴν ἰδίαν οὐσίαν σημαῖνον*, pro quibus Moschopulus substituerat *τὸ ἐπὶ ἀτόμων λεγόμενον.* retinuit *δηλοῦν ἔπαινον ἢ ψόγον* verba in describendo epitheto, quae Moschopulus exterminaverat. ne inspexisse quidem erotemata correcta eum patet in definiendo nomine possessivo, quod Dionysius sic circumscribit 635, 3: *κτητικὸν δέ ἐστι τὸ ὑπὸ τὴν κτῆσιν πεπτωκός, ἐμπεριειλημμένου τοῦ*

---


*) de aetate correctoris scis alios aliter indicasse. exeunte XIV saeculo eum fuisse vulgo opinabantur ante Titzium, quin etiam XV saeculo tribuit Melanthon. Titzius iam XIII saeculo floruisse technicum demonstrare conatus est in Diatriba litteraria Moschopuli opusculis praemissa. cuius argumentis Ritschelius firmissimum accedere putavit ex aetate codicis Gudiani 112, quo tamen libro non *διορθωθέντα ἐρωτήματα*, sed antiquiorem eorum formam exhiberi intelleximus. sed alius codex hoc certe testatur, ante medium saec. XIV Moschopulum erotemata correxisse. etenim Laurentiano pl. XXVIII 24, cuius supra mentionem feci, haec subscripta sunt: *ἐτελειώθη τὸ παρὸν βιβλίον διὰ χειρὸς ἐμοῦ, ὁμοφοίτου μεγάλου Γεωργίου τοῦ Λασκάρεως, μηνὶ Ἰουλίῳ λα', ἰνδ. θ', ἔτους ,ϛ ω ξ δ'*, id est a. 1356 post Christum natum.

**) de hoc Nilo, sicut de homonymis, scripsit Leo Allatius, cuius diatribam Fabricius in quintum volumen bibl. graecae recepit, Harlessius postea locupletatam inseruit tomo decimo. cfr etiam Oudini comm. de scriptoribus ecclesiasticis III 1137. Editum erat ex eis, quae Nilus scripsit, ab eodem Allatio encomium S. Matronae, ab aliis saepius *διήγησις συνοπτικὴ περὶ τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων* (Harduini acta conciliorum V col 1479—1485).

κτήτορος; nec aliter E^g, nisi quod *ἐμπεπτωκός* exhibent, quam corruptelam in oculos incurrit ex subsequentis vocis syllaba prima natam esse. haec autem macula ex antiquioribus erotematis inrepsit non solum in Leidense artis exemplar, ubi ab altera manu *ἐμ* supra scriptum est, et in commentarioli unum codicem ($σ^p$), qui saepius ex erotematis interpolatus est, et in Zonarae lexicon, sed etiam in catechismum Nilianum, quamquam absterserat Moschopulus. — Contra non solum inspexit, sed exscripsit Nilus correctum catechismum nulla ratione antiquioris formae habita innumeris aliis locis. vide mihi in tabulis meis p 2, 4. 4, 32. 6, 5. omisit in capite *περὶ ὀνόματος* cum Moschopulo *φερώνυμον διώνυμον ἐπώνυμον*. definivit eodem duce *ὄνομα ὡς πρός τι ἔχον* hisce verbis: *τὸ πρὸς ἕτερον μὲν λεγόμενον, κατ' ἐναντιότητα δὲ φθαρτικήν*. — Denique proferam duos locos, ubi Nilus definitiones suas ex antiquiore forma et Moschopulia miscuit. Dionysius 637, 18: *πεποιημένον δέ ἐστι τὸ παρὰ τὰς τῶν ἤχων ἰδιότητας μιμητικῶς εἰρημένον*, eademque leguntur in E^g, sed in E^b *ποιότητας* pro *ἰδιότητας*, apud Nilum *ποιότητας ἢ καὶ ἰδιότητας*. Dionysius 631, 7: *προτακτικὰ λέγεται* [scil *α ε η ο ω*], *ὅτι προτασσόμενα τοῦ ῑ καὶ ῡ συλλαβὴν ἀποτελεῖ*, nec aliter E^g, sed E^b *τὰς διφθόγγους ἀποτελεῖ*, Nilus *συλλαβὴν ἀποτελοῦσιν, ὡς αἱ δίφθογγοι*. — Ceterum erotemata etiam suo Marte nonnumquam contaminator immutavit, multaque omisit quae et E^g et E^b exhibent (cfr infra p 2, 42. 50. 4, 21. 26. 12, 1), ut in aperto sit Nilianam *γνώσεως πηγὴν* haudquaquam dignam esse quae limpida et integra appelletur.*)

Verum enimvero maiore etiam intervallo ab genuina erotematum forma distant ea quae Tubingensi continentur codice M 6, 24, de quo libro Flachius retulit in Fleckeiseni Annalibus 1876 p 733. est bombycinus, miscellaneus, quattuor primi quaterniones videntur XV saeculo tribuendi. in quibus ipsis invenitur catechismus Dionysianus Theodosianusque sic inscriptus: *πάντων ὁ χ͞ρ͞ ἐστιν ἀρχὴ καὶ τέλος. μανουὴλ τοῦ μοσχοπούλου γραμματική*. nec hanc grammaticam Moschopulio nomine omnino privandam censeo, sed hoc addendum, ex vero sinceroque Moschopuli catechismo factam illam ita esse, ut multa recisa, alia traiecta, alia depravata sint, alia denique aucta ex doctrina Byzantiorum recentissima. quo in numero verbi *κοινὴ διάθεσις* habenda est, quam infimae aetatis technici graeci mutuabantur ab latinis.

Itaque (si modo haec omnia recte disputata sunt) quae ratio intercedat inter erotemata Guelferbytana Moschopulia Niliana Tubingensia, repraesentare licet hac figura:



Debeo autem Tubingensis catechismi notitiam, sicut Guelferbytani, Egenolffo, qui ne has quidem recentissimas interrogationes totas describere cunctatus est. idem hos quattuor catechismos in libello scholastico Manhemiensi anni 1880 ita compositos cum Dionysii verbis edere in-

*) Moschopulias correctiones habent Schellersheimensis quoque codicis erotemata, quae Sturzius post Etymologicum Gudianum 669—682 publici iuris fecit. cfr 679, 15—22 cum eis quae supra exscripsi ex Moschopuli de vocalibus praeceptis.

stituit, ut ubique eluceret, quid in singulis novatum esset. cui consilio si respondisset ars typothetae, utilissimus, opinor, liber prodiisset. at haec editio, quae multo labore praeparata nec minore edepol sudore absoluta est, non solum ea verborum dispositione caret, qua utique opus erat, sed, ut dicam quod sentio editorque ipse indignabundus sentit, scandalum typographicum est: neminem enim risum non sublaturum esse puto (et Tuos potissimum cachinnos miros audire mihi videor), qui primam tantum paginam evolvens talia invenerit, quale hoc est in enumeratione singularum prosodiarum: *μακρά οἷον Ἥρᾶ, βραχεῖα οἷον γἅρ.* scilicet nec longae nec brevis syllabae signum typothetae suppetebat. quocirca si forte his erotematis iam nunc uti voles nec opperiri editionem in corpore grammaticorum graecorum prodituram, enixe Te rogo, ut ab eis, quae debentur sollertiae editoris, distinguas ea, quae inertiae opificis.

Interroganti vero Tibi vel alii cuipiam, quid nos adduxerit, ut tantam conlocaremus operam in cognoscendis describendis conferendis his catechismis grammaticis, equidem primum respondebo antiquiorem erotematum Dionysianorum formam, quae in Gudiano legitur, instar vetusti technes exemplaris nobis esse: namque non solum persaepe cum optimis codicibus consentire contra deteriores, sed nonnumquam ipsos superare optimos. cuius rei exempla in adnotatione critica, quam technes recensioni priori subscripsi, inveniuntur. non minoris autem dicam illud me aestimare, quod Moschopuli praesertim catechismo conlato quae sit origo innumerarum illarum mutationum perspiciamus, quibus deteriora artis exemplaria depravata sunt atque interdum ab aliis manibus etiam meliora: quippe ex his correctis erotematis ipsos technes codices correctos esse. sed gravissimum eorum, quae ex his catechismis lucremur, mihi videri respondebo tertium quiddam esse, quod iam supra significavi: etenim nunc demum nos cognoscere, qua via et per quos mutationis gradus doctrina Dionysiana ad aevi litterarum renascentium technographos pervenerit. memorabilis est et apprime idoneus ad illorum hominum studia cognoscenda locus Constantini Lascaris, qui legitur in extremo libro *περὶ ὀνόματος καὶ ῥήματος* (totius grammaticae tertius est) p 282 ed. Ald. a. 1557. ubi primum quidem laudat *διάφορα ἐρωτήματα* et *ἐπιτομὰς τῶν νεωτέρων, ὧν πρῶτος ὁ σοφὸς Μανουῆλος ὁ χρυσολωρᾶς, ὁ φυτεύσας καὶ διδάξας ἐν ἰταλίᾳ τὰ ἑλληνικά, οὗ τὸ βιβλίον οὐκ οἶδ' ὅπως τινὲς τῶν ἀμαθῶν συστείλαντες διέφθειραν* (v. Ritschelii Thom. p LIV). *καὶ μετ' ἐκεῖνον μετὰ πολλὰ ἔτη ὁ πάντ' ἄριστος Θεόδωρος ὁ γαζῆς τέσσαρα βιβλία συνέθηκε κάλλιστα καὶ ἐλλογιμώτατα.* deinde pergit: *ἐπεὶ δὲ ἡ ἡμετέρα γραμματικὴ ποικίλη τε τυγχάνει καὶ δύσκολος καὶ οἷόν τι πέλαγος ἀχανές, οὐ δεῖ τοὺς ἀκροατὰς μόναις ἀρκεῖσθαι ταῖς ἐπιτομαῖς, ὥσπερ σκιαγραφίαις οὔσαις, ἀλλὰ μετ' ἐκείνας ζητεῖν τὰ εὑρισκόμενα παλαιὰ καὶ νέα ἐρωτήματα, ἀφ' ὧν καὶ αὐτὸς ταυτὶ ἠρυσάμην, καὶ ὅσα εὐχερῶς εὕρηνται· τὰ τέτταρα βιβλία* (scil syntaxeos) *Ἀπολλωνίου τοῦ δυσκόλου — Ἡρωδιανοῦ πλεῖστα — Συγγέλου τοῦ ἱεροσολυμίτου τὸ περὶ συντάξεως* (hac nominis forma, quae in altera quoque et tertia Aldina invenitur, in ipsis codicibus haud paucis Michael Syncellus appellatur) — *Μαξίμου τοῦ Πλανούδου τὸν διάλογον καὶ τὸ περὶ συντάξεως καὶ περὶ μεταβατικῶν καὶ ἀμεταβάτων — Τρύφωνος καὶ Θεοδοσίου καὶ Χοιροβοσκοῦ τὰ εὑρισκόμενα, περὶ συνωνύμων ῥημάτων, περὶ τρόπων καὶ σχημάτων ποιητικῶν, περὶ παθῶν, περὶ πνευμάτων, περὶ ποιότητος καὶ ποσότητος, περὶ ὀρθογραφίας, περὶ ἰδιωμάτων — τὰ τοῦ Μοσχοπούλου πάντα — τὰς ἐκλογὰς Θωμᾶ τοῦ μαγίστρου — τὰς τοῦ Φρυνίχου — τὰς τοῦ Ἁρποκρατίωνος — τὸν Πολυδεύκην αὐτόν — τὰ περὶ μέτρων διάφορα καὶ τὰ τοῦ Ἡφαιστίωνος — τὸ περὶ τόνων Ἡρωδιανοῦ καὶ Θεοδοσίου, ὃ συνέτεμον ἐν βραχεῖ* (cfr Lentz I p LXVII) — *τὰ λεξικά, τὰ ἐτυμολογικὰ καὶ τἆλλα, ὅσα εἰς τὰς ἀρχὰς ἀνήκει καὶ θεμέλια τῆς ἑλληνικῆς γλώττης.*

ergo in hac tam larga supellectilis technicae copia Dionysii plane nulla mentio fit. nec magis technographum ipsum usurpavere Manuel Chrysoloras aut Theodorus Gaza aut Demetrius Chalcondylas, sed praecepta eius per erotematum alveos in horum grammaticorum libros permanarunt. quod ut suis cuique oculis perspicere commode liceret, et artis Dionysianae capita duo et singulorum catechismorum et illorum quattuorvirorum ea quae respondent verba sub unum adspectum subieci in tabulis infra datis, quin Melanthonis ad institutiones descendi in capite altero. atque Chrysolorae verba exscripsi ex editione Aldina anni 1512, quae librum integrum praebet, non ab Guarino breviatum (cfr Ritschelii Thom. p LIV Renouard Ann. Ald. I p 135); — Gazae praecepta ex editione principe *impressa Venetiis in aedibus Aldi Romani octavo Calendas Ianuarias MCCCCLXXXXV* petivi, sed inspexi etiam editionem Coloniensem anni 1525 et Basileensem a. 1529; — Lascaris editionibus tribus Aldinis usus sum, altera (s. a. 1498—1503, Renouard p 441), tertia (1512, Renouard p 94), quarta (1557, Renouard p 301)*); — in Chalcondylae verbis excerpendis rursus uti mihi licuit principe, de qua vide supra p VI; — Melanthonis denique praecepta sumpsi ex Coloniensi anni 1522. ex quibus exemplaribus transcripsi verba ad litteram et ut prosodias quoque vitiosas retinerem, excepto quod gravem accentum in acutum saepissime mutavi.

Conlatis autem quas binae paginae exhibent denis columnis intelleges primum quidem Chrysoloram ita tantum ab Moschopulo discrepare, ut omiserit, quae ille docuit de adverbii notione derivatione accidentibus p 2, 42—4, 28, de coniunctionis notione p 12, 1—8, et ut in *ἀϑροίσεως* classi p 9, 11 adiecerit exempla *ὁμοῦ ἅλις ἀντὶ τοῦ αὐτάρκως* (sed cfr Walderianae Moschopuli lectionem), in *βεβαιώσεως* classi p 9, 52 pro *ἀμήν* posuerit *ὄντως*, in *ἐναντιωματικῶν* specie p 17, 3 scripserit *τὶ ἐναντίον* pro *τὸ ἐναντίον* (nisi haec discrepantia errori debetur typothetae). — Deinde Gazam Tibi apparebit ipsum quoque Moschopulo usum esse, velut in unam speciem coniunxit (p 3, 4. 7, 5) *ἐπιῤῥήματα ποσότητος* et *ἀριϑμοῦ δηλωτικά* et, quae de adverbiorum derivatione p 3, 50—5, 14 docet, tribus exemplis mutatis ex Moschopuli catechismo mutuatus est. sed praeter hunc etiam antiquiorem erotematum formam eum usurpasse evidens est: nam nec *συγκαταϑέσεως* nec *ἀπαγορεύσεως* speciem omisit et addidit *δείξεως* classem (p 3, 22. 11, 31), quae in E^g quoque invenitur. neque in erotematis exhauriendis acquievit, sed undecim adverbiorum species profert p 11, 18—52, quae in nullo catechismorum leguntur, sed occurrunt partim apud Theodosium Goettlingianum.**) denique de suo nonnulla quin novaverit dubitari nequit, quo in numero ordinem classium adverbiorum habeo et quod *ποιότητος* et *μεσότητος* species inter se non separavit. — Lascari principalis fons Gazae liber erat, quod non negabis, si p 3 animadverteris omnes classes, quae Constantino cum Theodoro communes sunt, eodem utrumque ordine enumerare. sed praeter Gazam usurpavit Moschopulum, velut coniunctionis definitionem ab illo eum sumpsisse manifestum est p 12, 1, quamquam pro *λέξις συνδέουσα* dixit *μέρος λόγου συνδέον* (cfr 3, 42), omisitque extrema Moschopuli verba. huius catechismum et Gazae isagogam quasi conflavit 5, 32—38. 11, 6. 15, 2—4. denique adiecit novem classes adverbiorum, quae excepta una omnes apud Pseudotheodosium inveniuntur. — Chalcondylas tantum non omnia ab Gaza sumpsit, raro Lascarim in-

---

*) 'Lascaris epitome' legitur supra nonam columnam usque ad p 11, supra octavam usque ad p 17, quia primo libro grammaticae Lascaris, ex quo eius de adverbio et coniunctione praecepta hausi, inde ab editione principe (Mediol. 1476) haec inscripta inveniuntur: *ἐπιτομὴ τῶν ὀκτὼ τοῦ λόγου μερῶν.*

**) ab Chrysolora accepisse videtur *ὄντως* pro *ἀμήν* p 9, 52.

spexit (id quod fecit in adverbio definiendo 3, 42). — Melanthon denique omnino fere Lascari obnoxius est (cfr 13, 1—4. 13, 51), ab aliis exempla tantummodo nonnulla mutuatus, velut 13, 29 *αὐτάρ ὅτι*, 13, 36 *ἠέ*, 15, 5 *καθότι*. Quae ratio autem praeter haec de adverbiis et coniunctionibus capita inter XIV XV XVI saec. technicos et erotemata ex Dionysii arte Theodosiique canonibus oriunda intercedat, id Egenolffus eo quem promisit libello explicabit.

Restat ut de ratione alterius partis appendicis pauca adiciam.

Priscianus III 324, 8: proprie in dum terminatio theticum significat adverbium [*nam* theticum *haud dubie cum Schoemanno Ann. Fleckeis. 89 p. 376 pro tradito* Atticum *legendum est*], quod omni generi et numero et personae et tempori potest adiungi, ut legendum est mihi, tibi, illi eqs.

26

Dionysius 642, 17: *Τὰ δὲ θειασμοῦ, οἷον εὐοῖ εὐάν.*

Charisii fragmentum Parisinum praebet in ea interiectionum serie, quae ex Palaemonis arte originem ducit, etiam euchoe. *vide ad I 238, 25.*

In eis, quae Charisius I 239—242 de interiectionibus ex Romani libro exscripsit, invenitur etiam euhoe *cum duobus testimoniis.*

Inter eas interiectiones, quas Leidensis et Sanctamandinus Charisii exhibent praemissis his verbis Cominianus plurimas interiectiones ostendit *(vide ad I 238, 19), invenitur:* euchoe vocantis, *pro quo verbo legendum censeo* bacchantis.

[Probus] in cap. de interiectione IV 146, 5: aut bacchamur, ut puta euhoe.

Priscianus in cap. de interiectione bis profert euhoe, *III 91, 4 et 27.*

Propriae latinorum artigraphorum hae sunt species: I demonstrandi s. monstrandi (Pal. Rom. Com. An. Diom. Dos. Don. Prob. Sac. Vict.). — II personalia (Pal. Rom. An. Dos. Don. Prob. Sac. Vict.). — III compellandi s. vocandi s. invocationis (Pal. Rom. Com. An. Diom. Dos. Don. Prob. Sac. Vict.). — IV respondendi (Pal. Rom. Com. An. Diom. Dos. Don. Prob. Sac. Vict.). — V praeferendi s. optionis s. eligendi (Rom. Diom. Don. Sac.). — VI causalis (Rom.). — VII separationis s. discretiva (Com. Diom. Don. Prob. Sac. Vict. Prisc.). — VIII eventus (Com. An. Diom. Don. Prob. Sac. Vict.). — IX aestimationis (Diom.). — X precationis (Diom.). — XI exclamantis (Prob.). — XII temporis et loci (Vict.). — XIII terminationis (Vict.). — XIV percunctantis, *diversa ab 19* (Vict.). — XV aestimantis, *diversa ab IX* (Vict.). — XVI animadvertentis (Vict.). — XVII iterationis (Vict.). — XVIII ornativa (Vict.). — XIX nominativa (Vict.). — XX remissiva (Prisc.). — XXI superlativa (Prisc.). — XXII diminutiva (Prisc.). — XXIII vocandi, *diversa ab III* (Prisc.).

DE NOMINVM SPECIEBVS

Dionysius 634, 24 B. 25, 6 V. Εἴδη δὲ παραγωγῶν [*scil* ὀνομάτων] ἐστιν ἑπτά· I πατρωνυμικόν, II κτητικόν, III συγκριτικόν, IV ὑπερθετικόν, V ὑποκοριστικόν, VI παρώνυμον, VII ῥηματικόν. — *636, 8 B. 32, 2 V.* ὑποπέπτωκε δὲ τῷ ὀνόματι ταῦτα, ἃ καὶ αὐτὰ εἴδη προσαγορεύεται· 1 κύριον, 2 προσηγορικόν, 3 ἐπίθετον, 4 πρός τι ἔχον, 5 ὡς πρός τι ἔχον, 6 ὁμώνυμον, 7 συνώνυμον, 8 φερώνυμον, 9 διώνυμον, 10 ἐπώνυμον, 11 ἐθνικόν, 12 ἐρωτηματικόν, 13 ἀόριστον, 14 ἀναφορικόν, ὃ καὶ ὁμοιωματικὸν καὶ δεικτικὸν καὶ ἀνταποδοτικὸν καλεῖται, 15 περιληπτικόν, 16 ἐπιμεριζόμενον, 17 περιεκτικόν, 18 πεποιημένον, 19 γενικόν, 20 εἰδικόν, 21 τακτικόν, 22 ἀριθμητικόν, 23 ἀπολελυμένον, 24 μετουσιαστικόν [μετουσ. *ante* ἀπολελυμένον *ponunt deteriores codices VHA; prorsus omittunt postremam classem Armenius et Syrus, neque videntur legisse vetustiores artis scholiastae*].

Diomedes I 320, 29—326, 29. 1 nomina propria; quattuor sunt species: praenomen nomen cognomen agnomen [*cum agnomine cfr Dionysii pheronymon*]. — 2 appellativa; in duas species dividuntur, quarum altera significat res corporales . . . . . . altera incorporales [*cfr generalis definitio nominis apud Dionysium 634, 11 B. 24, 3 V.:* σῶμα ἢ πρᾶγμα σημαῖνον]. — 11 gentem significantia. — 22 sign. numerum. — 21 sign. ordinem. — 18 ficta a sonis. — ab adverbiis descendentia. — a participiis descendentia. — participium sonantia. — verbis similia. — 15 positione singularia, intellectu pluralia [*cfr Dionysii de nominis numeris expositio 635, 31 B. 31, 1 V.*]. — etymologica. — 17 periectica. — 4 τῶν πρός τι. — 5 τῶν πρός τί πως ἔχοντα. — 6 homonyma. — 7 synonyma. — mediae potestatis (a quibusdam adiectiones dicuntur). — 3 epitheta. — principalia (prototypa). — derivativa (paragoga): I patronymica. — II possessiva. — VI paronyma. — VII verbalia. — III comparativa. — IV superlativa. — V diminutiva.

Charisius I 152, 20—153, 5. 154, 21—157, 22. 1 propria: praenomen nomen cogn. agn. [*cum agnomine cfr Dionysii pheronymon*]. — 2 appellativa: res corporales sign., res incorp. sign. — 11 gentem significantia. — 22 sign. numerum. — 21 ordinem. — sign. qualitatem. — sign. quantitatem. — ab accidentibus vel consequentibus tracta [*cfr Dionysii* ἐπίθετα ἀπὸ τῶν ἐκτὸς λαμβανόμενα *636, 23 B. 35, 1 V.*]. — quae sicut nata sunt efferuntur [= *prototypa*]. — derivativa: I patronymica. — II possessiva. — V deminutiva. — VII verbalia. — 19 generalia. — 20 specialia. — 21 ficta a sono. — ab adverbiis descendentia. — a participiis desc. — 3 ἐπιθετικά. — 4 τῶν πρός τι. — 5 τῶν πρός τί πως ἔχοντα. — 6 homonyma. — 7 synonyma. — mediae potestatis (a quibusdam adiectiones vocantur). — gradus positivus. — III comparativus. — IV superlativus.

Excerpta Bobiensia I 533, 11—31. 535, 11—537, 14. 1 propria: praenomina gentilicia cognomina agnomina. — 2 appellativa: res corporales significantia, incorporalia. — 11 gentem significantia. — 22 sign. numerum. — 21 sign. ordinem. — sign. qualitatem. — sign. quantitatem. — a moribus. — ab accidentibus vel consequentibus tracta [*cfr Dionysii* ἐπίθετα ἀπὸ τῶν ἐκτὸς λαμβανόμενα]. — primae positionis [= *prototypa*]. — derivativa: II κτητικά. — V deminutiva. — VII ῥηματικά. — 19 generalia. — 20 specialia. — 18 ficta a sonis. — ab adverbiis descendentia. — a participiis. — 3 ἐπιθετικά. — 4 τῶν πρός τι. — 5 τῶν πρός τί πως ἔχοντα. — 6 homonyma. — 7 synonyma. — mediae potestatis (a quibusdam adiectiones vocantur). — gradus absolutus. — III comparativus. — IV superlativus.

Dositheus VII 390, 7—391, 4. 394, 11—401, 7. 1 propria: praenomina gentilicia cognomina agnomina. — 2 appellativa: res corporales significantia, incorporalia. — 11 gentem significantia. — 22 sign. numerum. — 21 sign. ordinem. — sign. qualitatem. — sign. quantitatem. — a moribus. — ominalia. — ab accidentibus vel sequentibus tracta [*cfr Dionysii* ἐπίθετα ἀπὸ τῶν ἐκτὸς λαμβανόμενα]. — primae positionis [= *prototypa*]. — dirivativa: I patronymica. — II possessiva. — VI diminutiva. — VII ῥηματικά. — 19 generalia. — 20 specialia. — 18 facta a sonis. — ab adverbiis descendentia. — a participiis. — 3 ἐπίθετα. — 4 τῶν πρός τι. — 5 τῶν πρός τί πως ἔχοντα. — 6 homonyma. — 7 synonyma. — mediae potestatis (a quibusdam adiectiones vocantur). — gradus absolutus. — III comparativus. — IV superlativus.

Donatus IV 373, 7—375, 12. 1 propria: praen. nomen cogn. agn. — 2 appellativa; species multae sunt: alia corporalia. — alia incorporalia. — alia primae positionis. — alia derivativa. — V alia deminutiva. — nomina tota Graecae declinationis. — tota conversa in Latinam regulam. — inter Graecam Latinamque formam, quae notha appellantur. — 6 homonyma. — 7 synonyma. — I patronymica. — II ctetica. — mediae significationis (haec etiam epitheta dicuntur). — qualitatis. — quantitatis. — 11 gentis. — patriae. — 22 numeri. — 21 ordinis. — 4 ad aliquid. — 5 ad aliquid qualiter se habentia. — 19 generalia. — 20 specialia. — VIII facta de verbo. — participiis similia. — verbis similia. — gradus positivus. — III comparativus. — VI superlativus.

[Sergius] in Donatum IV 535, 25—538, 21. 539, 6—540, 6. 1 propria: praenomina, nomina gentis, cognomina, agnomina. — 2 appellativa; multae species sunt, ex quibus alia 11 gentem significant. — 22 alia numerum. — 21 alia ordinem. — 4 alia ad aliquid dicta. — 18 alia facta significant. — alia aetatem. — 19 alia generalia. — 20 alia specialia. — alia primae positionis. — VI ex nomine dirivata. — V diminutiva. — quae Graecam declinationem habent. — quae Graeca sunt et Latinam habent declinationem [*cfr Donatus*]. — I patronomica. — II possessiva. — 7 synonyma. — inter Graecam et Latinam formam, quae notha dicuntur [*cfr Donatus*]. — 6 homonyma. — epicoena [*cfr Dionysii de nominis generibus expositio 634, 19 B. 25, 1 V.*]. — mediae significationis (epitheta). — 5 ad aliquid qualiter se habentia. — 4 ad aliquid dicta. — 20 speciale. — 19 generale. — VII facta de verbo. — Gradus absolutus, qui est positivus. — III comparativus. — IV superlativus. — I patronomica. — 9 dionymon. — 8 feronymon. — 10 eponymon.

[Probus] IV 119, 18—120, 20. nomina rem animalem significantia. — sign. rem inanimalem. — sign. rem corporalem. — sign. rem incorporalem [*cfr Dionys. 634, 11 B. 24, 3 V.*]. — rem proprie significantia. — rem communiter significantia [*cfr Dionysiana nominis definitio 634, 13 B. 24, 4 V.*: κοινῶς τε καὶ ἰδίως λεγόμενον]. — 19 generalia. — 20 specialia. — 1 propria: praenomen nomen cognomen agnomen. — 2 appellativa. — 4 τῶν πρός τι. — 5 τῶν πρός τί πως ἔχοντα. — mediae potestatis sive adiectionis. — epicoena [*cfr Dionysiana de nominis generibus expositio 634, 19 B. 25, 1 V*]. — 7 synonyma. — 6 homonyma. — 15 positione singularia, intellectu pluralia. — positione pluralia, intellectu singularia [*cfr Dionysiana de nominis numeris expositio 636, 1 B. 31, 3 V.*].

Consentius V 339, 18—343, 6. 1 popria: praenomen nomen cognomen agnomen. — 2 appellativa: plures differentias habent: vel rem corporalem significant. — vel rem incorporalem [*cfr Dionys. 634, 11 B. 24, 3 V.*]. — 4 vel ad aliquid dicuntur. — 5 ad aliquid qualiter se habentia. — 11 gentis. — patriae. — 22 numeri. — 21 ordinis. — qualitatis. — quantitatis. — mediae significationis (etiam epitheta appellantur). — primae positionis. — VI derivativa a nomine — VII derivativa a verbo. — V diminutiva. — participiis similia. — verbis similia. — II ctetica. — I patronymica. — 6 homonyma. — 7 synonyma. — 19 generalia. — 20 specialia. — gradus positivus sive absolutus. — III comparativus. — IV superlativus.

Priscianus II 57, 9—62, 12. species principalis. — sp. derivativa. — 1 nomina propria: praenomen nomen cognomen agnomen [*agnominis definitio plane concinit cum Dionysiana descriptione* φερωνύμου]. — 2 appellativa. — corporalia. — incorporalia [*cfr Dionysiana nominis definitio 634, 13 B. 24, 4 V.*]. — 6 homonyma. — 7 synonyma. — 3 adiectivum. — 4 ad aliquid dictum. — 5 quasi ad aliquid dictum. — 9 dionyma. — 11 gentile. — patrium. — 12 interrogativum. — 13 infinitum. — 14 relativum vel demonstrativum vel similitudinis. — 15 collectivum. — 16 dividuum. — 18 facticium. — 19 generale. — 20 speciale. — 21 ordinale. — 22 numerale. — 23 absolutum. — temporale. — locale. — [24 *μετουσιαστικῶν classis vestigia apud Priscianum ibi inveniuntur, ubi de nominibus formae possessivae disserit, II 69, 5. 76, 23.*] — *II, 60, 1. 62, 12—140, 24.* I patronymicum. — II possessivum. — III comparativum. — IV superlativum. — V diminutivum. — VI denominativum, in quo intellegimus cum multis aliis etiam 17 comprehensivum. — VII verbale. — participiale. — adverbiale.

Iam infra composui quae hi grammatici latini et Dionysius docent de speciebus hisce I III IV V 4 5 6 7 11 18 19 20 21 22.

I *Πατρωνυμικόν*

Dionysius 634, 26—635, 3 B. 25, 8—26, 6 V. Πατρωνυμικὸν μὲν οὖν ἐστι τὸ κυρίως [κυρίως τὸ *codd. deteriores*; τὸ κυρίως *optimi, scholia, Armenius*] ἀπὸ πατρὸς ἐσχηματισμένον, καταχρηστικῶς δὲ καὶ τὸ [τὸ *praebent omnes boni libri, om deterrimi*] ἀπὸ προγόνων, οἷον Πηλείδης Αἰακίδης ὁ Ἀχιλλεύς. τύποι δὲ τῶν πατρωνυμικῶν ἀρσενικῶν μὲν τρεῖς, ὁ εἰς δης, ὁ εἰς ων, ὁ εἰς αδιος, οἷον Ἀτρείδης Ἀτρείων, καὶ ὁ τῶν Αἰολέων ἴδιος τύπος Ὑρράδιος· Ὕρρα γὰρ παῖς ὁ Πιττακός [*lenem spiritum in vocibus Aeolicis posui invitis omnibus codicibus*]. θηλυκῶν δὲ οἱ ἴσοι τρεῖς [*pro* οἱ ἴσοι *deteriores libri* τύποι εἰσὶ *praebent; Bekker* ὁμοίως τύποι εἰσὶ *ex commentariolo byzantio sumpsit*], ὁ εἰς ις, οἷον Πριαμίς, καὶ ὁ εἰς ας, οἷον Πελιάς, καὶ ὁ εἰς νη, οἷον Ἀδρηστίνη. ἀπὸ δὲ μητέρων οὐ σχηματίζει πατρωνυμικὸν εἶδος ὁ Ὅμηρος, ἀλλ' οἱ νεώτεροι.

Diomedes I 323, 24—29. Patronymica sunt quae a patre sumuntur, ut Pelides Priamides. abusive saepe etiam a matre fiunt, ut Latous Apollo, Phillyrides Chiron, Inous Palaemon, Pleiades; aut ab avo, ut Aeacides; aut ab avia, ut Ledaea Hermione; aut a fratribus, ut Phaethontiades et Laumedontius heros; aut a maioribus, ut Belides Palamedes; aut a maritis, ut Helena Menelais; aut a filiis, ut Althaea Meleagris, sicut Ibycus Graecus retulit.

Charisius I 154, 27—155, 2. Sunt quaedam derivativa quae ab aliqua persona propter coniunctionem generis declinantur, ut Pelides Aeacides, quae Graeci patronymica appellant.

Dositheus VII 395, 5—7. Quaedam dirivativa, ut montanus fontanus Pelides Aeacides, quae Graeci patronymica appellant. *graece:* τινὰ παραγωγά, ὡς τὸ ὀρεινός πηγαῖος Πηλείδης Αἰακίδης, ἅπερ οἱ Ἕλληνες πατρωνυμικὰ προσαγορεύουσιν.

Donatus IV 373, 23—28. Alia patronymica, ut Atrides Pelides: haec et ab avis et a matribus saepe fiunt. in his quae Graeca sunt, sive masculina fuerint sive feminina, Graecam magis servabimus regulam. horum masculina aut in des exeunt, ut Atrides ab Atreo, aut in ius, ut Peleius a Peleo, aut in ion, ut Nerion a Nereo; feminina autem aut in is exeunt, ut Atreis, aut in as, ut Peleias [peleias *Santonianus*, peleas *Leidensis*, pelleas *Parisinus*], aut in ne, ut Nerine.

[Sergius] in Donat. IV 537, 7—9. Sunt patronomica, ut Tydides Pelides, quae a vocabulo paterno trahuntur; aliquando et ab avis, ut Aeacides, id est Achilles, Aeaci nepos. — *12—15.* Patronomica aut in des terminantur, ut Aeneides Pelides, aut in ius, ut Nycteius, Agamemnonius. dicuntur et a matribus saepe matronomica. patronomica feminini generis in is exeunt, ut Atreis Cisseis Dardanis. — *539, 36—540, 3.* Sunt quae a Graecis patronomica, a nobis patria dicuntur, ut Atrides Pelides. quae deducuntur apud Homerum a patre et ab avo et retro, apud Lycophronem et ab uxore; sed et illa quae naturaliter intelleguntur, ut 'Scipiadas duros bello', id est Scipiones.

Consentius V 341, 4—6. Sunt alia patronymica, ut Atrides Euandrides. haec et ab avis et a matribus et a maioribus ducuntur saepe, et a fratribus non numquam fiunt. — *11—13.* Patronymicorum masculina aut in des exeunt, ut ab Atreo Atrides; aut in ius, ut a Peleo Peleius; aut in on, ut a Nereo Nerion. — *14—16.* Feminina vero aut in is exeunt, ut ab Atreo Atreis; aut in as, ut a Peleo Peleias; aut in e, ut Euandrine Nerine et Adrestine.

Priscianus II 62, 15—17. Patronymicum est, quod a propriis tantummodo derivatur patrum nominibus secundum formam Graecam, quod significat cum genetivo primitivi filius vel nepos: Aeacides, Aeaci filius vel nepos. [Aeacides — nepos, *quae prima manus Sangallensis om et altera manus codicis R uncinis inclusit*, *Hertzius pro glossemate habet*]. — *63, 11—13.* Scire autem debemus, abusive etiam a matribus et regibus sive conditoribus et a fratribus etiam patronymica solere formari, ut Latoides, *Λητοῦς*, id est Latonae, filius Apollo. — *65, 12—17.* Sunt igitur patronymicorum formae apud Graecos tres: in des, quae dicitur communis apud illos, quod in omni sermone possunt hac uti, qua sola Romanorum quoque poetae utuntur. nam aliis duabus non utuntur, id est in ων terminata, quae est propria Iadis linguae, *Πηλείων* pro *Πηλείδης*, et in *αδιος*, quae est Aeolica, ut Hyrradios, Hyrrae filius, Pittacus. — *67, 14—17.* Feminina vero patronymica vel in is vel in as desinunt vel in ne productam. fiunt autem a masculinis subtracta 'de' in is vel in as desinentia, ut Priamides Priamis, Dardanides Dardanis, Peliades Pelias. — *68, 5—7.* In ne autem desinentia, quae sunt Iadis linguae, patronymica eiusdem generis i longam habent paenultimam, si principale non habuerit eandem i vocalem, ut Adrestos Adrestīne, Nereus Nerīne.

III Συγκριτικόν

Dionysius 635, 5—11 B. 27, 3—28, 2 V. *Συγκριτικὸν δέ ἐστι τὸ τὴν σύγκρισιν ἔχον ἑνὸς πρὸς ἕνα ὁμοιογενῆ, ὡς Ἀχιλλεὺς ἀνδρειότερος Αἴαντος, ἢ ἑνὸς πρὸς πολλοὺς ἑτερογενεῖς, ὡς Ἀχιλλεὺς ἀνδρειότερος τῶν Τρώων. τῶν δὲ συγκριτικῶν τύποι εἰσὶ τρεῖς, ὁ εἰς τερος, οἷον ὀξύτερος βραδύτερος, καὶ ὁ εἰς ων καθαρόν, οἷον βελτίων καλλίων, καὶ ὁ εἰς ων [sic optimi testes, deteriores σων], οἷον κρείσσων ἥσσων.*

Diomedes I 324, 14—15. Conparativa sunt cum aliquem vel alieno vel suo generi conparamus, ut fortior. *325, 10—15.* tum hoc utimur, cum aliquem vel alieno vel suo generi conparamus, ut Hector fortior Diomede vel audacior Patroclo Achilles fuit: et unum cum multis alienis, ut fortiores Graeci Troianis. sed gradu conparativo in uno et altero prope aequalibus ac similibus utimur (nam dissimilium conparatio nulla est), ut hi duo viri fortes, sed hic altero fortior.

Charisius I 157, 8—13. Utimur autem gradu comparativorum in uno et altero prope aequalibus ac similibus (nam dissimilium comparatio nulla est), ut hi duo viri fortes, sed hic altero fortior. item comparativus et his qui sui generis sunt et his qui alterius sunt comparatur, ut equus velocior equo dicitur, qui eiusdem generis est, item velocior cane, qui alterius generis est.

Exc. Bob. I 537, 3—7 = Charisius.

Dositheus VII 400, 10—401, 1 = Charisius. graece: χρώμεθα δὲ τῷ βαθμῷ τῶν συγκριτικῶν ἐν ἑνὶ καὶ ἑτέρῳ σχεδὸν ἴσοις καὶ ὁμοίοις (τῶν γὰρ ἀνομοίων σύγκρισις οὐδεμία ἐστίν), ὡς τὸ οὗτοι οἱ δύο ἄνδρες ἰσχυροί, ἀλλ' οὗτος τοῦ ἑτέρου ἰσχυρότερος. ὁμοίως ὁ συγκριτικὸς βαθμὸς καὶ τούτοις τοῖς τοῦ αὐτοῦ γένους οὖσιν καὶ τούτοις τοῖς ἑτέρου οὖσιν συγκρίνεται, ὡς τὸ ἵππος θάσσων ἵππου λέγεται τοῦ ὁμογενοῦς ὄντος, ὁμοίως θάσσων κυνὸς τοῦ ἑτερογενοῦς.

Donatus IV 375, 5—7. Sed tunc hoc [*scil* gradu comparativo] utimur, cum aliquem vel alieno vel suo generi conparamus, ut Hector fortior Diomede vel audacior Troianis fuit. dicimus autem et fortior hic quam ille est [dicimus — est *om Parisinus*].

[Sergius] in Don. IV 539, 32—33. Est autem conparativus vere, si dicamus sic, tam doctus hic quam ille: nam doctior praelativus est.

Consentius V 342, 19—23. Scire debemus conparativum gradum ablativo casui utriusque numeri iungi debere, quotiens aliquem vel alieno vel suo generi conparamus. dicimus enim Hector fortior Diomede vel Troianis audacior fuit. attamen conparativus hic gradus etiam nominativo iungitur, ut doctior hic quam ille.

Priscianus II 83, 2. Comparativum est quod cum positivi intellectu vel cum aliquo participe sensu positivi 'magis' adverbium significat. — *85, 16—86, 2.* Fit comparatio vel ad unum vel ad plures tam sui generis quam alieni, quamvis Graeci honoris causa suae gentis quam ratione veritatis dicunt, non posse ad multos sui generis fieri comparationem. alii autem dicunt, hanc esse rationem, propter quam non utuntur tali comparatione, quod, cum ad plures sui generis fit comparatio, superlativo possumus uti, ut fortissimus Graecorum Achilles.

IV Ὑπερθετικόν

Dionysius 635, 11—15 B. 28, 3—5 V. *Ὑπερθετικὸν δέ ἐστι τὸ κατ' ἐπίτασιν ἑνὸς πρὸς πολλοὺς παραλαμβανόμενον ἐν συγκρίσει. τύποι δὲ αὐτοῦ εἰσι δύο, ὁ εἰς τατος, οἷον ὀξύτατος βραδύτατος, καὶ ὁ εἰς τος [sic optimi codd. et scholia, στος deteriores codd. et erotemata], οἷον ἄριστος μέγιστος.*

Diomedes I 324, 15—16. Superlativa sunt cum aliquem conparamus ad omnes, ut fortissimus omnium. — *325, 15—21.* Superlativo [*scil* utimur], cum unum antecellere pluribus significamus, ut, si tres pluresve sint viri, eum quem superferimus fortissimum ceterorum dicimus, et semper genetivo plurali adiungitur, ut optime Graiugenum. sed tum hoc utimur, cum aliquem suo generi conparamus, ut Hector fortissimus Troianorum fuit, Achilles Graecorum. plerumque superlativus pro positivo ponitur et nulli conparatur, ut Iuppiter optimus maximus.

Charisius I 157, 13—19. Superlativus vero gradus omnibus his tantum qui sui generis sunt praeponitur; nam velocissimus equus non dicitur nisi equis conparatus. itaque superlativus gradus aut omnibus sui generis praeponitur, ut o Danaum fortissime gentis Tydide, aut nullis.

Exc. Bob. I 537, 7—11 = Charis., nisi quod Exc. initio omittunt gradus omnibus.

Dositheus VII 401, 1—4 = Charis., nisi quod Dos. initio non exhibet gradus omnibus, *deinde post* comparatus *addit* sit, *denique pro* Tydide *praebet* Tydides. *graece: ὁ ὑπερθετικὸς δὲ τούτων μόνον τῶν ὁμογενῶν ὄντων προτάσσεται. ταχύτατος γὰρ ἵππος οὐ λέγεται ἐὰν μὴ ἵπποις συγκρίνηται. τοιγαροῦν ὁ ὑπερθετικὸς βαθμὸς ἢ πάντων τῶν ὁμογενῶν προτάσσεται ἢ οὐδενός.*

Donatus IV 375, 7—11. Superlativus autem genetivo tantum plurali adiungitur; sed tunc hoc utimur ..... = *Diomedes* .... maximus.

[Sergius] in Don. IV 539, 23. superlativus [*scil* gradus], ut iustissimus.

Consentius V 342, 24—27. Tum hoc utimur, cum aliquem suo, non alieno generi conparamus, ut Hector fortissimus Troianorum fuit. hic idem superlativus plerumque pro positivo ponitur nec conparatur, ut cum dicimus Iuppiter optimus maximus.

Priscianus II 94, 15—19. Superlativum est, quod vel ad plures sui generis comparatum superponitur omnibus vel per se prolatum intellectum habet cum 'valde' adverbio positivi, ut fortissimus Graecorum Achilles, id est fortis super omnes Graecos; sin autem dicam fortissimus Hercules fuit, non adiciens quorum, intellego valde fortis.

V *Ὑποκοριστικόν*

Dionysius 635, 15—17 B. 28, 6—7 V. *Ὑποκοριστικὸν δέ ἐστι τὸ μείωσιν τοῦ πρωτοτύπου ἀσυγκρίτως δηλοῦν, οἷον ἀνθρωπίσκος λίθαξ μειρακύλλιον.*

Diomedes I 325, 25—26. Diminutiva sunt quae in diminutione absolutorum nominum fiunt sine ulla conparatione, ut parvus parvulus, adulescens adulescentulus.

Charisius I 155, 10—13. Sunt deminutiva quae in absolutis nominibus adiecta in novissima parte aut littera aut syllaba capiunt deminutionem sine ulla comparatione, ut montanus montaniculus, scholasticus scholasticulus, parvus parvulus, adulescens adulescentulus.

Exc. Bob. I 535, 19—21 = Diomedes.

Dositheus VII 395, 10 = Diom., nisi quod Dos. in diminutionem *dixit, nam accusativum in ablativum mutari vetat interpretatio graeca: ἔστι δὲ καὶ ὑποκοριστικά, ἃ εἰς μείωσιν τῶν ἀπολύτων ὀνομάτων γίνεται ἄνευ τινὸς συγκρίσεως.*

Donatus IV 373, 14—15. Alia deminutiva, ut monticulus scholasticulus.

[Sergius] in Don. IV 536, 34—36. Sunt diminutiva, quae primae positionis per incrementum syllabae minuunt formam, ut mons monticulus, lapis lapillus, caput capitulum, vacca vaccula, ora oscilla.

Consentius V 340, 21—22. Sunt etiam diminutiva, ut monticulus scholasticulus.

Priscianus II 101, 3—7. Diminutivum est, quod diminutionem primitivi sui absolute demonstrat: rex regulus, id est parvus rex. ideo autem positum est absolute, quia comparativa quoque non solum augent, sed etiam est quando minuunt vim primitivorum, sed non absolute. ad aliquid enim fit comparatio.

4 *Πρός τι ἔχον*

Dionysius 636, 24 B. 35, 3 V. *Πρός τι ἔχον δέ ἐστιν ὡς πατήρ υἱός φίλος δεξιός* [*ἔχον testantur praeter codices Armenius, Syrus, commentariolus byzantius, pars erotematum; omittunt erotemata Moschopuli et Nili; modo ponit modo omittit Stephanus scholiasta*].

Diomedes I 322, 27. Sunt quaedam nomina, quae per se sine alterius partis orationis adminiculo intellegi non possunt, ut pater frater. recipiunt enim sibi et illa per quae intelleguntur, ut meus tuus. haec a Graecis *τῶν πρός τι* appellantur, id est ad aliquid.

Charisius I 156, 4. Sunt quaedam nomina, quae per se sine alterius partis orationis adminiculo intellegi non possunt, quae Graeci dicunt *τῶν πρός τι*, id est ad aliquid, quae non possunt intellegi sola, ut pater mater; iungunt enim sibi et illa per quae intelleguntur.

Exc. Bobiensia I 536, 6 = Diomedes.

Dositheus VII 397, 10 = Diomed., nisi quod Dos. dicit quaedam nomina sunt *et omittit* ut meus tuus. *graece: τινὰ ὀνόματα εἰσὶν ἃ καθ' ἑαυτὰ ἄνευ ἑτέρου μέρους λόγου προσβολῆς, ἄνευ τοῦ ἕτερον μέρος λόγου προσθεῖναι, νοηθῆναι οὐ δύναται, ὡς πατήρ ἀδελφός. ἀναδέχονται γὰρ ἑαυτοῖς καὶ ἐκεῖνα, δι' ὧν νοεῖται. ταῦτα παρὰ τῶν Ἑλλήνων τῶν πρός τι προσαγορεύονται, τουτέστι πρός τι.*

Donatus IV 374, 8. Sunt alia ad aliquid dicta, ut pater frater.

[Sergius] in Donatum IV 536, 22. Alia ad aliquid dicta, ut pater et frater, avunculus. . . . . . . haec sola non habent certam significationem, sed adiectis personis declarantur, ut pater meus, frater tuus. — *539, 9.* alia ad aliquid dicta: causa est, propter quam dicantur, quod sanguine aut aliquo necessitudinis vinculo videntur esse devincti, id est adfinitatis propinquitate.

[Probus] IV 119, 34. Sunt nomina, quae Graeci *τῶν πρός τι* appellant, id est ad aliquid, ut puta pater frater mater. iunguntur enim quibus respondeant, ut puta pater Marci, mater Iuli, frater Victoris; sic et cetera talia.

Consentius V 339, 28. Vel ad aliquid dicuntur, ut pater magister. haec enim alium intellectum secum trahunt: patre enim dicto intellegas simul filium, et magistro dicto intellegas simul discipulum necesse est.

Priscianus II 60, 19. Ad aliquid dictum est, quod sine intellectu illius, ad quod dictum est, proferri non potest, ut filius servus; nam dicendo filium etiam patrem et dicendo servum dominum quoque intellego. quod si intereat, interimit una illud, quod ab eo intellegitur.

5 Ὡς πρός τι ἔχον

Dionysius 636, 25 B. 35, 4 V. Ὡς πρός τι ἔχον δέ ἐστιν ὡς νύξ ἡμέρα θάνατος ζωή. [*Alterum exemplorum par om primae manus in ML, Armenius, Syrus; ἔχον om erotemata Nili, modo om modo add Stephanus scholiasta.*]

Diomedes I 322, 30. Et similia *τῶν πρός τί πως ἔχοντα*, id est ad aliquid quodam modo adtendentia vel taliter qualiter se habentia, ut dexter sinister. haec et conparativum gradum admittunt, ut dexterior sinisterior.

Charisius I 156, 8. Sunt his similia quae Graeci dicunt *πῶν πρός τί πως ἔχοντα,* id est ad aliquid quodam modo se habentia, ut dexterior sinisterior.

Exc. Bob. I 536, 9. Sunt et similia *τῶν πρός τί πως ἔχοντα*, id est ad aliquid quodam modo attendentia, ut dexterior sinisterior.

Dositheus VII 398, 1. Sunt et similia *τῶν πρός τί πως ἔχοντα*, id est ad aliquid quodam modo attendentia, ut dexterior sinisterior. *ἔστιν καὶ ὅμοια τουτέστι πρός τι κατά τινα τρόπον προσέχοντα, ὡς τὸ δεξιός ἀριστερός.*

Donatus IV 374, 9. Alia ad aliquid qualiter se habentia, ut dexter sinister: haec et conparativum gradum admittunt, ut dexterior sinisterior.

[Sergius] in Donat. IV 539, 8. ⟨alia ad aliquid⟩ qualiter se habentia, ut ubi posita fuerint sic dicantur, ut dexterior sinisterior.

[Probus] IV 119, 36. Sunt nomina, quae Graeci *τῶν πρός τί πως ἔχοντα* appellant, id est ad aliquid quodam modo habentia, ut puta dexterior superior inferior. iunguntur enim quibus respondeant, ut puta dexterior oculus, superior dens, inferior vestis: sic et cetera talia.

Consentius V 339, 31. Sunt alia ad aliquid qualiter se habentia, ut dexter sinister, quae conparativum gradum admittunt.

Priscianus II 60, 23. Quasi ad aliquid dictum est, quod, quamvis habeat aliquid contrarium et quasi semper adhaerens, tamen non ipso nomine significat etiam illud: neque enim ex illo nominationem accipit, ut dies nox dextra sinistra: nam quamvis intereat, non interimit secum etiam illud, quod ei adhaerere intellegitur.

6 Ὁμώνυμον

Dionysius 636, 26 B. 36, 1 V. Ὁμώνυμον δέ ἐστιν ὄνομα τὸ κατὰ πολλῶν ὁμωνύμως τιθέμενον, οἷον ἐπὶ μὲν κυρίων, ὡς Αἴας ὁ Τελαμώνιος καὶ Αἴας ὁ Ἰλέως, ἐπὶ δὲ προσηγορικῶν, ὡς μῦς θαλάσσιος καὶ μῦς γηγενής [*ὄνομα et οἷον Armenio et Syro ducibus delenda sunt. Ἰλέως vel Ἰλέος exhibent optimi testes*].

Diomedes I 322, 33. Sunt quoque quaedam homonyma, quae una loquella plura significant, ut nepos acies. significat enim nepos et certum cognationis gradum et rei avitae consumptorem. similiter acies et oculorum dicitur et ferri et exercitus.

Charisius I 156, 9 = Diomedes.

Exc. Bob. I 536, 10 = Diomed., nisi quod Exc. omittunt quoque *et* rei avitae.

Dositheus VII 398, 3 = Diomed., nisi quod Dosith. pro loquella *dicit* appellatione. *graece: ἔστιν τέ τινα ὁμώνυμα, ἃ μιᾷ προσηγορίᾳ πλείονα σημαίνει. ὡς τὸ ἔγγονος τάξις. σημαίνει γὰρ καὶ ὡρισμένον συγγενείας βαθμὸν καὶ πραγμάτων μαμμῴων καταφαγᾶν. ὁμοίως τὸ* acies *καὶ ὀφθαλμῶν λέγεται καὶ σιδήρου καὶ στρατοπέδου.*

Donatus IV 373, 21. Sunt alia homonyma, quae una appellatione plura significant, ut nepos acies aries.

[Sergius] in Donat. IV 538, 10. Homonyma sunt ut nepos acies, dicitur enim filius ⟨filii⟩ nepos; dicitur et consumptor nepos, qui avorum et parentum devorat terram in morem scorpii, qui devorat terram . . . . Similiter et acies aliquando exercitum significat . . . ., aliquando oculos . . . ., item 'stat ferri acies' eqs.

[Probus] IV 120, 10. Sunt nomina, quae appellantur homonyma, hoc est quae una significatione varias res designant, ut puta nepos foedus scortum agmen aries et cetera talia. nepos enim modo tertiam progeniem hominum, modo luxuriosum designat; item foedus modo turpem, modo iusiurandum significat; item scortum modo corium, modo meretricem demonstrat; item agmen modo multitudinem modo iter significat; aries vero modo animal, modo machinam belli demonstrat: sic et cetera talia.

Consentius V 341, 17. Item sunt nomina homonyma; sunt synonyma, quae eadem appellantur polyonyma. homonyma sunt quae uno nomine plures res significant, ut nepos acies aries.

Priscianus II 59, 13. Homonyma quoque tam in propriis quam in appellativis inveniuntur, ut Pyrrhus filius Achillis et Pyrrhus rex Epirotarum, nepos filius filii et nepos luxuriosus.

7 *Συνώνυμον*

Dionysius 636, 29 B. 36, 5 V. ***Συνώνυμον δέ ἐστι τὸ ἐν διαφόροις ὀνόμασι τὸ αὐτὸ δηλοῦν, οἷον ἄορ ξίφος μάχαιρα σπάθη φάσγανον*** [*Syrus convertit pluralem,* ***συνώνυμα . . τὰ . . δηλοῦντα,*** *sed Armenius singularem, quem exhibent omnes testes graeci. Syrus tria exempla habet, Armenius sex; unus scholiastarum videtur legisse* ***ἔγχος φάσγανον κνώδων ἐγχειρίδιον***].

Diomedes I 323, 1. Sunt alia synonyma vel polyonyma, quae pluribus loquellis idem significant, ut **terra humus, ensis mucro gladius.**

Charisius I 156, 12. Quaedam synonyma, quae pluribus loquellis idem tamen significant, tam quam **terra humus, ensis mucro gladius.**

Exc. Bobiensia I 536, 13. Quaedam sunt synonyma, quae pluribus loquellis idem significant, ut **terra humus, ensis gladius.**

Dositheus VII 398, 6 = Exc. Bobiensia. *graece:* ***τινά ἐστι συνώνυμα, ἃ πλείοσιν λαλιαῖς τὸ αὐτὸ σημαίνει.***

Donatus IV 373, 22. Sunt alia synonyma vel polyonoma, ut **terra humus, ensis mucro gladius.**

[Sergius] in Donat. IV 537, 27. Sunt synonyma vel polyonyma, ut **terra humus, ensis mucro gladius.** haec enim diversis vocabulis unam habent significationem. haec est enim terra quae et humus; sed tamen est differentia: generaliter ubique terra est, non ubique humus . . . . Ensis enim in proelio, gladius generaliter dicitur, mucro in opere.

[Probus] IV 120, 6. Sunt nomina, quae appellantur synonyma, hoc est quae variis significationibus unam rem designant, ut puta **tellus terra humus** et cetera talia, item **alvus venter uterus** et cetera talia, item **gladius ensis mucro telum** et cetera talia, item **scutum clipeus parma umbo** et cetera talia, item **mare pontus aequor** et cetera talia.

Consentius V 341, 20. Synonyma vel polyonyma sunt, cum pluribus nominibus singulae res significantur, ut **terra**; eadem enim res dicitur **terra** et **humus** et **tellus**: item **ensis**; eadem enim res dicitur **ensis et mucro et gladius.**

Priscianus II 60, 29. Synonyma sunt, quae, sicut diximus, diversis nominibus idem significant, ut **ensis gladius mucro.** in propriis quoque hanc vim habent dionyma vel trionyma vel tetraonyma, ut **P. Cornelius Scipio Africanus,** sicut docuimus.

11 *Ἐθνικόν*

Dionysius 637, 5 B. 38, 6 V. ***Ἐθνικὸν δέ ἐστι τὸ ἔθνους δηλωτικόν, ὡς Φρύξ Γαλάτης*** [*Armenius tria exempla habet: Kotertziensis Duhiensis Georgiensis; item Syrus: Canaanaei, Pherezitae, Jebusitae*].

Diomedes I 322, 14. Sunt nomina quae gentem significant, ut **Afer Dacus Hispanus.** alia patriam, ut **Thebanus Romanus.**

Charisius I 154, 21. Sunt quae gentem significant, ut **Afer Dacus Hispanus.**

Exc. Bob. I 535, 11. Sunt nomina quae gentem significant, ut **Afer Hispanus.**

Dositheus VII 394, 11. Sunt nomina quae gentem significant, ut **Afer Dacus Hispanus.** *graece:* ***ἔστιν ὀνόματα ἃ ἔθνος σημαίνει, ὡς τὸ Φρύξ Γαλάτης Ἴσπανος.***

Donatus IV 374, 5. Alia gentis, ut Graecus Hispanus; alia patriae, ut **Thebanus Romanus.**

[Sergius] in Donatum IV 536, 20. Alia gentem significant, ut **Graecus Afer.**

[Probus] hanc speciem omittit.

Consentius V 340, 1. Sunt alia gentis, ut **Graecus Hispanus.** sunt alia patriae, ut **Thebanus Romanus.**

Priscianus II 61, 3. Gentile est, quod gentem significat, ut **Graecus Latinus.** patrium est, quod a patria sumitur, ut **Atheniensis Romanus.**

18 *Πεποιημένον*

Dionysius 637, 18 B. 42, 3 V. ***Πεποιημένον δέ ἐστι τὸ παρὰ τὰς τῶν ἤχων ἰδιότητας μιμητικῶς εἰρημένον, οἷον φλοῖσβος ῥοῖζος ὀρυμαγδός*** [*optimi codices et scholia habent formam Byzantiis usitatam* ***ὀρυγμαδός.*** *Armenius quoque tria exempla exhibet, Syrus duo; Armenius* ***παρὰ τὴν τοῦ ἤχου ἰδιότητα*** *interpretatur, Syrus convertit plurales*].

Diomedes I 322, 17. Quaedam ficta a sonis vel a vocibus, quae Graeci *πεποιημένα* dicunt, ut **stridor clangor hinnitus tinnitus mugitus.**

Charisius I 155, 27. Quaedam ficta sunt a sono vel vocibus, ut **stridor clangor hinnitus ululatus fremitus mugitus.**

Exc. Bob. I 535, 34. Quaedam ficta sunt a sonis vel a vocibus, ut stridor clangor tinnitus mugitus ululatus hinnitus mussitus.

Dositheus VII 396, 11. Quaedam facta a sonis vel a vocibus, ut stridor clangor tinnitus hinnitus ululatus fremitus mugitus. *graece: τινὰ δὲ πεποιημένα ἐκ τῶν ἤχων ἢ ἀπὸ τῶν φωνῶν, ὡς τὸ τρισμός, κραυγή, ὁ ἦχος τοῦ χαλκοῦ, χρεμετισμὸς ἵππων, ὀλολυγμός, βρυχηθμός, μυκηθμός.*

Donatus [Probus] Consentius hanc speciem omittunt.

[Sergius] in Donat. IV 536, 27. Alia facta significant, ut hinnitus mugitus.

Priscianus II 61, 26. Facticium est, quod a proprietate sonorum per imitationem factum est, ut tintinnabulum turtur.

19. 20 *Γενικόν Ἰδικόν*

Dionysius 637, 20 B. 43, 1 V. Γενικὸν δέ ἐστι τὸ δυνάμενον εἰς πολλὰ εἴδη διαιρεθῆναι, οἷον ζῷον φυτόν [*Syrus non δυνάμενον διαιρεθῆναι, sed διαιρούμενον interpretatur. Ceterum in exemplis quoque Syrus et Armenius cum graecis verbis concinunt*]. — *Εἰδικὸν δέ ἐστι τὸ ἐκ τοῦ γένους διαιρεθέν, οἷον βοῦς ἵππος ἄμπελος ἐλαία* [*εἰδικὸν, quod Dionysius haud dubie scripsit, deteriores tantum codices praebent BTA; vetustissimi ἰδικὸν, idemque interpretantur Armenius et Syrus. alter codex interpretationis syriae exemplum leonis inserit tertio loco. ceterum et in definitione et in exemplis Syrus Armeniusque cum Dionysii codicibus consentiunt*].

Diomedes has species omittit.

Charisius I 155, 24. Quaedam generalia sunt quibus multa continentur dissimilia, ut animal arbor. ex his nascuntur specialia, quae tamen insunt originibus suis generalibus, velut homo equus taurus laurus pinus fraxinus.

Exc. Bob. I 535, 31 = Charis., nisi quod in Exc. ultimum exemplum deest.

Dositheus VII 396, 8 = Charis., nisi quod Dos. dixit . . . . specialia, quae dividuntur et minuuntur ⟨ab⟩ originibus suis generalibus, ... *etenim* ab *invito codice inserendum esse patet etiam ex interpretatione graeca: τινὰ δὲ γενικά ἐστιν, οἷς πολλὰ περιέχεται ἀνόμοια, ὡς τὸ ζῷον δένδρον. ἐκ τούτων δὲ γεννᾶται ἴδια, ἃ διαιρεῖται καὶ λεπτύνεται ἀπὸ τῆς ἰδίας ἀρχῆς τῆς γενικῆς ὡς τὸ ἄνθρωπος ἵππος ταῦρος δάφνη πίτυς ὀξέα.*

Donatus IV 374, 11. Sunt alia generalia, ut corpus animal, alia specialia, ut lapis homo lignum.

[Sergius] in Don. IV 536, 28. Alia generalia, ut corpus animal, alia specialia, ut homo lapis.

[Probus] IV 119, 27. Sunt nomina generalia, ut puta homo avis arbor et cetera talia. sunt nomina specialia, ut puta Cato columba pinus et cetera talia.

Consentius V 341, 23. Illud sane scire debemus, ne nos ea res forte confundat, quod plerique grammatici eius modi divisionem fecerunt, ut alia generalia nomina dicerent, ut corpus animal, alia specialia, ut lapis homo, alia propria, ut Cicero. et licet apud philosophos ita se res habeat, ut aliud genus, aliud species, aliud proprium sit, quod individuum appellant; tamen grammaticorum recta ista divisio est, ut nomina quaecunque propria non sunt generalia, id est appellativa, dicantur.

Priscianus II 61, 28. Generale est, quod in diversas species potest dividi, ut animal arbor. Speciale est, quod a genere dividitur, ut homo equus vitis laurus.

21 *Τακτικόν*

Dionysius 637, 23 B. 44, 2 V. Τακτικὸν δέ ἐστι τὸ τάξιν δηλοῦν οἷον πρῶτος δεύτερος τρίτος [*eadem exempla apud Armenium et Syrum; erotemata recentiora omittunt τρίτος*].

Diomedes I 322, 16. Alia ordinem [*scil* significant], ut primus secundus; sed primus de multis, de duobus prior dicitur, sicut de duobus alterum dicimus, de multis alium.

Charisius I 154, 22. Alia ordinem, ut primus secundus.

Exc. Bob. I 535, 12 = Charisius.

Dositheus VII 394, 12 = Charisius. graece: ἄλλα τάξιν, ὡς τὸ πρῶτος δεύτερος.

Donatus IV 374, 6 = Diomedes, nisi quod Don. alia ordinis *dicit.*

[Sergius] in Donatum IV 536, 21 = Charisius.

[Probus] hanc speciem omittit.

Consentius V 340, 3 = Donatus.

Priscianus II 62, 3. Ordinale est, quod ordinem significat, ut primus secundus tertius.

22 Ἀριθμητικόν

Dionysius 637, 24 B. 44, 4 V. **Ἀριθμητικὸν δέ ἐστι τὸ ἀριθμὸν σημαῖνον, οἷον εἷς δύο τρεῖς** *[eadem exempla apud Armenium et Syrum].*

Diomedes I 322, 15. Alia numerum, ut unus duo.

Charisius I 154, 21 = Diomedes.

Exc. Bob. I 535, 12 = Diom.

Dositheus VII 394, 11 = Diomedes. *ἄλλα ἀριθμόν, ὡς τὸ εἷς δύο.*

Donatus IV 374, 6. Alia numeri, ut unus duo.

[Sergius] in Don. IV 536, 21 = Diomedes.

[Probus] hanc quoque speciem omittit.

Consentius V 340, 2 = Donatus.

Priscianus II 62, 4. Numerale est, quod numerum demonstrat, ut unus duo tres.

EXPLICATIO COMPENDIORVM
QVAE IN TABVLIS INVENIVNTVR

In eis quae ad Dionysii verba adnotata sunt:

M = codicis Monacensis 310 fragmenta, in quibus totum *περὶ συνδέσμου* caput invenitur, sed capitis *περὶ ἐπιῤῥήματος* altera tantum pars inde ab verbis *ὥσπερ ἤντε* (supra p 6, 44), item capitis *περὶ ὀνόματος* ea tantum quae a verbis *τύποι δὲ* (supra p 31, 35) usque ad finem leguntur.

L = Leidensis Vossianus gr. in 4. 76 (L^2 L^3 L^x correctorum manus sunt)

G = Grottaferratensis 127

B = Vaticanus 1370

T = Parisinus 2603

V = Venetus Marcianus 652 class. app. XI 4

H = Holstenii apographum Hamburgense

A = Parisinus 2290

σ^P = Parisinus 2558 commentarioli ab Hilgardo editi

σ^H = eiusdem commentarioli apographon Hamburgense

In eis quae ad Moschopuli verba adnotata sunt:

B I vel Bas. I = codex Basileensis F VIII 13

B II = Basileensis O IV 26

In eis quae ad Lascaris verba:

Ald. II = editio Aldina s. a. (1498—1503)

Ald. III = Aldina a. 1512.



